OPUSCOLI

RACCOLTI DALL' ABATE

DOMENICO CAPRETTA

DI

CENEDA

Volume 33

109 . 1 – 13

Digitized by Google

SYNODUS DIŒCESANA ÆMONIENSIS

HABITA IN ECCLESIA CATHEDRALI

DEO IN HONOREM SS. MARTYRUM

MAXIMI, ET PELAGII

DEDICATA

DIEBUS 27. 28. 29. AUGUSTI ANNI 1780.

SUB ILLUSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO D. D.

FR. JOANNE DOMINICO STRATICO

EX ORDINE PRÆDICATORUM, SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTRO,

FLORENTINÆ, AC SENENSIS UNIVERSITATUM THEOLOGO,

Dei, & Sanctæ Apoſtolicæ Sedis Gratia,

EPISCOPO ÆMONIENSI,

ET COMITE S. LAURENTII IN DAYLA, &c.



PATAVII, Typis Seminarii, MDCCLXXXI.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

UNIVERSIS
DIŒCESEOS ÆMONIENSIS
SACERDOTIBUS, ET CLERICIS
F. JOANNES DOMINICUS STRATICO
EPISCOPUS ÆMONIENSIS,
ET COMES S. LAURENTII IN DAYLA, &c.

Salutem & felicitatem æternam.

SYNODI Noſtræ Diœceſanæ Sanctiones Vobis omnibus probatas, ſummaque celebritate, & communi exultatione decretas, jam Deo Optimo Maximo opem ferente, Typis editas Vobis exhibemus. Conati ſane vehementer ſumus moras, quantum licuit, ſuſtollere, ne diutius hoc Sacro Diſciplinæ Codice ad uniuſcujuſque veſtrum ſanctificandam vitam, gerendumque Chriſti Miniſterium compoſito fraudaremini. Sed multa obſtiterunt, quominus celerius edi in lucem poſſet. Jam vero, quam cœpimus, ſanctæ rei complementum habetis. Publici ſit juris Liber a Vobis, uti a ceteris etiam noſtratibus, & exteris legendus. Cavete ne a veſtris ipſis Legibus morum ratio, admini-

Digitized by Google

miniſtrandæ Eccleſiæ norma, ducendi in ſalutem populi diligentia diſſentiat, ne in illam Phariſaicam labamur ſubſannationem, dicere nos, quæ non facimus: alligare onera gravia, & importabilia, quæ non ipſi portamus. Quia non legem noſtram, ſed ipſam Chriſti & Eccleſiæ, Noſtræ Diœceſi adpoſitam proponimus: non enim novi quidpiam invehere in Eccleſiam auderemus. Qua itaque alacritate confirmaſtis, Librum excipite; nocturna, diurna manu verſate; doctrinam in eo contentam agnoſcite, atque pro Nobis Deum orate.

IN-

Digitized by Google

INDICTIO SYNODI.

FR. JOANNES DOMINICUS STRATICO,

EX ORDINE PRÆDICATORUM,

SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTER, ET FLORENTINÆ AC SENENSIS UNIVERSITATUM THEOLOGUS,

DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA,

EPISCOPUS ÆMONIENSIS,

ET COMES S. LAURENTII IN DAYLA, &c.

Dilecto Nobis in Chriſto Univerſo Clero Noſtræ Civitatis, & Diœceſis Salutem, & Benedictionem.

DIſciplinæ Eccleſiaſticæ decori, ſanctitati, atque cuſtodiæ, quantum in Domino poſſumus, conſulere cupimus, ut qui ad ſublimia Sacerdotii munera vocati ſumus, ſanctificemur adhuc, & de virtute in virtutem procedentes Chriſti odorem bonum in Populum noſtræ curæ concreditum effundamus. Itaque, ſancta Viſitatione Generali, Domino largiente, plene habita, cognitiſque, & veluti nominatim vocatis Ovibus noſtris, intelleximus pariter Sacerdotum noſtrorum zelum, pietatem, ſalutis animarum ardorem, eſſe opportuna Legum reſtauratione ſuſtinendum, ut in Dei gloriam augeantur fructus juſtitiæ, & charitatis. Quapropter judicavimus Synodalem inſtituere Conventum; ut juxta Apoſtolicas Conſtitutiones, & Conciliorum Generalium, præſertim vero Œcumenici Tridentini Decreta, examinemus vias noſtras, & ſuborientes tenebras diſſipemus a luce Domini.

Hoc utiliter a Prædeceſſoribus noſtris Jacobo Philippo Tommaſini an. 1644. Jacobo Bruti An. 1674. Nicolao Gabrielli An. 1691. & Victorio Mazzocca Ex Ordine pariter Prædicatorum aſſumpto An. 1730. præſtitum (nulla enim ſupereſt aliarum in hac Eccleſia Synodorum recordatio) in miſeris etiam temporum conditionibus ſuſtentavit, & erexit Cleri, populique virtutem; ut inde pie credendum ſit, Divino Beneficio Eccleſiam Noſtram dignitatis incrementa ſuſcepiſſe. Multis porro hactenus obſiſtentibus cauſis, ut ab poſtremo celebrata Synodo medium jam Seculum defluxerit, tempus eſt, ut nova veluti Sanctione, Sanctiſſima vetera inſtituta roborentur, & nova pro temporum ratione adjiciantur ad Dei gloriam, communemque ſalutem.

Qua-

Digitized by Google

Quare, elevatis oculis ad miſericordiarum Patrem, qui nos elegit Miniſtros Filii ſui, & myſteriorum ejus diſpenſatores, ab eoque petentes aſpirando præveniri, & adjuvando proſequi, Noſtris hiſce Literis notam omnibus eſſe volumus Indictionem Noſtræ primæ Synodi Diœceſanæ in hac Noſtra Cathedrali Æmonienſi celebrandæ Die 24. Menſis Maji proxime venturi cum duobus ſequentibus Diebus, quæ erunt, Feria Secunda, Tertia, & Quarta poſt Pentecoſtem. Proinde omnibus & ſingulis Canonicis Præbendatis, & Honorariis, Parochis, ſive Titulo gaudentibus, ſive Simplicibus, & Amovibilibus, necnon omnibus quolibet Eccleſiaſtico Titulo Beneficiatis, ac quibuſcumque aliis Eccleſiaſticis Simplicibus, ſive Sacerdotibus, ſive Clericis, iiſque omnibus, qui de Jure, vel Conſuetudine Synodo intereſſe tenentur, præcipimus in virtute S. Obedientiæ, ac ſub pœnis Canonico Jure ſtatutis, ut omnes, & ſinguli dictis Diebus perſonaliter adeſſe debeant in Cathedrali, induti *Veſte Talari*, mundis Superpelliceis, & *Biretis nigris Clericalibus*; Canonici vero cum ſuis Eccleſiaſticis Inſigniis; & Parochi cum Pluvialibus; & ſic in Domino congregati, quicquid ad Dei Gloriam, Animarum ſalutem, & Eccleſiaſtici Ordinis honorem utilius dignoſcetur, decernere poſſimus.

Ne vero ullum ſit Populis ex abſentia Parochorum detrimentum, ipſi Parochi Sacerdotem idoneum pro neceſſaria Sacramentorum adminiſtratione, unum, *vel plures* Nobis *proponant*, *quibus* libentiſſime facultates omnes in Domino pro dictis Diebus concedemus; & ſic probatos Populo annuncient inter Miſſarum ſolemnia; ut ſciant quem in Spirituali neceſſitate Paſtoris loco ſint habituri.

Ut autem, & quæ recta ſunt videre poſſimus, & ad implenda quæ viderimus, convaleſcere, æquum eſt adjuvari Nos communi Fidelium prece ad id impetrandum a Patre Luminum, a quo eſt omne datum optimum, & donum perfectum. Quapropter Parochis mandamus, ut his Noſtris receptis Literis Synodi aperitionem inter Miſſarum Solemnia Populo denuncient, & quolibet Feſto die poſt Miſſam Litanias Beatæ Mariæ Virginis cum Clero, & Populo recitent alternatim. Sacerdotes vero in Miſſis omnibus, quando per Rubricas licet, Collectam addant de Spiritu Sancto uſque ad Synodi Complementum.

Volumus autem ut præſens hujus Synodalis Indictionis Edictum ad Valvas Eccleſiæ Noſtræ Cathedralis; Collegiatæ S. Servilii Bullearum; Archipresbyteralis S. Georgii Portularum; & Plebanæ SS. Viti, & Modeſti Griſinianæ, affixum, omnes, & ſingulos, ut ſupra vocatos afficiat, ac ſi unicuique eſſet perſonaliter intimatum.

Datum Æmoniæ ex Noſtro Epiſcopali Palatio hac die prima Aprilis 1779.

{ F. JO. DOMINICUS Epiſcopus Æmonienſis.

Joſeph Marignani Canc. Epiſc.

PA-

Digitized by Google

PASTORALES LITERÆ

DE SYNODO RURSUS INDICTA.

Venerabilibus Fratribus, & Dilectis Filiis Canonicis, Parochis, Sacerdotibus, & Clericis Diœceſis Æmonienſis

FR. JOANNES DOMINICUS STRATICO,

EX ORDINE PRÆDICATORUM,

SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTER, ET FLORENTINÆ AC SENENSIS UNIVERSITATUM THEOLOGUS,

DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA,

EPISCOPUS ÆMONIENSIS,

ET COMES S. LAURENTII IN DAYLA, &c.

Salutem, & Diſciplinæ ſpiritum.

QUum ad Synodi noſtræ Diœceſanæ celebrationem omnia eſſent ſuperiore Anno diſpoſita, jamque vos Paternis Literis omnes ad Cathedralem Eccleſiam pro Diebus 30. 31. Maji, & 1. Junii convocaſſemus, publiciſque Fidelium precibus auxilia a Patre Luminum ad opus adeo grave ac ſanctum perficiendum implorarentur, placuit Ei, cujus judicia inſcrutabilia ſunt, & abyſſus multa, ut in ipſis Synodalis celebritatis pervigiliis graviſſima infirmitate correpti, non modo ab incepto deſiſtere cogeremur, verum ex ſummis, quæ exinde importatæ ſunt in Nos, incommoditatibus, prohiberemur omnino Synodum ipſam continuo rurſus indicere, & Diœceſeos diſciplinæ pro tenuitatis Noſtræ menſura conſulere.

Benedicimus Deo, & Patri miſericordiarum, qui viſitavit Nos in tribulatione diuturna, neque renuimus hic emendari, ut æternam non demereamur pietatem. Jam vero, quoniam ex hac ipſa pietate fit, ut viribus aliquanto redditis cœptum ad ipſius laudem opus impleri poſſe non deſperemus, illud Nobis in primis curandum eſt, ne carnis hebetudine fracti, ea, quæ ſunt Spiritus, negligamus. Bonus ſane Paſtor animam eſſe pro grege ponendam verbo, exemploque præcepit, ut nulla ſuper-

Digitized by Google

perſit excuſatio, ſi creditam Nobis Dominici Gregis portionem, hoc, quod potiſſimum Sacris Eccleſiæ Canonibus judicatum eſt, pabulo alere ceſſemus, corporis languorem, infirmitatemque cauſati, qua potius inſtantis Nobis fortaſſe Divini Judicii commonemur, rationiſque reddendæ, ut partes Noſtras adimplere feſtinemus.

Itaque Synodum Noſtram rurſus indicimus in Eccleſia noſtra Cathedrali Æmonienſi celebrandam Diebus 28. 29. 30. Auguſti proxime futuri, Voſque omnes, qui Sacerdotio fungimini, quibus de Jure, vel Conſuetudine patet ad eum Conſeſſum locus, præfinitis diebus in S. Obedientiæ meritum ad ipſam advocamus. Quibus legitima ſuberit impedimenti cauſa, ii a Nobis facultatem impetrabunt, ut abſint: quoſve pariter neceſſum erit populo eo triduo in Parœciis ad Sacra præſto eſſe.

Rogamus omnes, & ſingulos, ut ſi quæ ſubſint controverſiæ, ſi quæ jura definienda, ad Nos quamprimum deferant, ut antecedenter ſine perturbatione componantur, ne inimicus homo zizania ſuperſeminet iis diebus, in quibus oportet fulgere triumphum charitatis, & ſanctæ lætitiæ. Quæ porro in communem utilitatem decerni cupitis, libere proponite, ut ſapientiorum habito conſilio, mature perpenſa ſine querela definiantur.

Charitatem pariter veſtram oramus, ut copioſis apud Deum precibus felicem Synodi exitum inceſſanter cum Plebe veſtra imploretis. Obſecrationum genera *veſtro arbitrio permittimus*; præcipientes ſolum in Dominica Die præcedenti Synodum, quæ erit 20. Auguſti, in qualibet Parochiali, ſive Curatiali Eccleſia poſt Miſſam, Litanias Majores cum Populo recitari, ut interceſſoribus multiplicatis Divinæ Pietatis ſuſcipiamus abundantiam.

Commoneatur Populus de Plenaria Indulgentia a Sanctiſſimo Pontifice Pio VI. conceſſa omnibus vere pœnitentibus, confeſſis, & Euchariſtico pane refectis, qui eo triduo Cathedralem Eccleſiam viſitaverint, Deumque pro felici ſtatu S. Romanæ Eccleſiæ humiliter oraverint, ne Sanctorum plebs tanto theſauro fraudetur.

Ceterum Vos in Domino complecti cupientes, hoc enixe flagitamus, ut ad Synodum advenientes, cor humile, docilem animum, Spiritum rectum, Chriſti charitatem, qua urgemini, in inceſſu, ſtatu, habitu, & in omnibus actibus veſtris oſtendatis. Sal terræ eſtis: ne infatuemini. Lucernæ poſitæ ſuper candelabrum eſtis: ne lumen obtegite. Reliqua, ubi facto opus fuerit, per privatas Literas diſponentur. Vobis interea, Populiſque veſtris de rore Cœli, & de pinguedine terræ, Divinis opibus imploratis, Paternam quoque Benedictionem amanter impertimur.

Datum ex Noſtro Epiſcopali Æmonienſi Palatio Prid. Kal. Auguſti 1780.

{ F. JO. DOMINICUS Epiſcopus Æmonienſis.

Joſeph Marignani Canc. Epiſc.

D E-

DECRETUM DE SYNODO INCŒPTA.

IN NOMINE SANCTISSIMÆ ATQUE INDIVIDUÆ TRINITATIS,

PATRIS, FILII, & SPIRITUS SANCTI, Amen.

NOS F. JOANNES DOMINICUS STRATICO,

Dei, & Apoſtolicæ Sedis Gratia,

EPISCOPUS SANCTÆ ECCLESIÆ ÆMONIENSIS,
ET COMES S. LAURENTII IN DAYLA, &c.

AD Laudem Dei Omnipotentis, B. Mariæ Virginis, Sanctorum Maximi, & Pelagii Patronorum noſtrorum, & Omnium Sanctorum gloriam, Noſtram Diœceſanam Synodum incipimus. Præſtet idem Omnipotens Deus pro ſua miſericordia, & Sanctorum precibus exoratus, ut quemadmodum ſperamus, ex hoc ſacro Conventu lumen, & Spiritum omnes reportemus ad officia noſtra, ſecundum Divinam voluntatem, implenda.

Decretum. De modo vivendi tempore Synodi.

CUm in Divinis, & Eccleſiaſticis Sanctionibus graviſſime indicta ſit vitæ Clericalis Ordinis hominum integritas, & honeſtas, innocentia, fides, Religio, pietas, & omnia ornamenta virtutum, quibus potiſſimum ſanctificatur, & regitur populus Domini: Hinc Clerum noſtrum admonemus, & per viſcera miſericordiæ Dei noſtri obteſtamur, ut cum ſemper, tum maxime his diebus, virtute, charitate, Diſciplina Laicis hominibus exemplo præluceat.

Decretum. De Miniſtris Synodalibus.

COnſtituimus Officiales Synodi mox e Tabella annunciandos.

Officiales Synodi.

Promotor Synodalis. A. R. D. Franciſcus Loi Archipreſ. Bullearum.
Secretarius. A. R. D. Joſeph Pilaſtro Can. Bullearum.
Subſtitutus. R. D. Sebaſtianus Marcheſani.
Præfectus Diſciplinæ Synodalis. A. R. D. Paulus Pauletich J. U. D. Can. & Vicarius Generalis.
Præfectus Hoſpitiorum. Idem.

Digitized by Google

Coadjutor. R. D. Franciſcus Vianello.
Procurator Cleri. A. R. D. Antonius Scherbich J. U. D. Can. Cath.

Judices Querelarum, & Excuſationum.

A. R. D. Petrus Rota Manzini Plebanus Villæ Novæ.
A. R. D. Jacobus Thomaz Plebanus Mumiani.

Confeſſarii Cleri cum omni Epiſcopali facultate.

A. R. D. Franciſcus Alexandri Can. Cathedralis.
A. R. D. Blaſius Antonini Can. Bullearum.
A. R. D. Nicolaus Corva Plebanus S. Viti in Griſiniana.
A. R. D. Matthæus Dall' Oſto Cappellanus Coadjutor S. Georgii Portularum.
A. R. P. Joannes Miccolich Tertii Ordinis S. Franciſci.

Magiſtri Cæremoniarum.

R. D. Sebaſtianus Blaſut.
R. D. Sebaſtianus Cerdon.

Nicolaus Bonicelli Secr. Epiſc.

Decretum. De præjudicio non afferendo.

DEcernimus, ſi cui contigerit ſuo loco non vocari, ſedere, aut incedere, aut quidpiam agere, aut pati non ſecundum jura: propterea nemini jus acquiri, nec cuipiam de proprio jure aut poſſeſſione detrahi, ſed res in ipſo ſtatu permanere, in quo ante Synodi celebrationem reperiebantur.

Decretum. De non diſcedendo.

PRæcipimus omnibus, & ſingulis, qui huic Synodo intereſſe debent, ſub Canonicis pœnis, ne quiſpiam a Civitate diſcedat, antequam hæc Noſtra Diœceſana Synodus, de more abſoluta, ac dimiſſa ſit, niſi facultate a Vicario Noſtro Generali impetrata; ſed omnibus Synodalibus actionibus, & Seſſionibus omnes, & ſingulos intereſſe jubemus.

Decretum. De vocatione Cleri,

UT conſtet de numero, & præſentia omnium intereſſe debentium huic Noſtræ Synodo, decernimus, ſingulos tam de Clero Urbano, quam Foraneo vocari, ſcilicet unumquemque ordinatim per ſuarum Eccleſiarum or-

Digitized by Google

ordinem in antecedenti Synodo Mazzocca deſcriptum , ſalvis tamen Juribus Eccleſiarum , & perſonarum .

Decretum. De Profeſſione Fidei.

JUxta Sacroſancti Tridentini Concilii Sanctionem Seſſ. 25. cap. 2. Omnes Beneficia Eccleſiaſtica obtinentes tenentur in Synodo Diœceſana Fidei Profeſſionem emittere . Itaque huic obedientes Decreto Omnes , Vicario Generali præeunte , Fidei Profeſſionem flexis genibus emittemus . Qui noviter acceſſerint , eam in manu Epiſcopali , ſub breviore forma , ut præſcriptum eſt, emittent.

Decretum. De Examinatoribus Synodalibus.

QUoniam ex Concilii Trid. Decreto Seſſ. 24. cap. 18. & Seſſ. 25. cap. 15. jubemur Judices , & Examinatores Synodales eligere , qui ſint ad id munus idonei , & jurent ad Sancta Dei Euangelia , ſe , quacumque humana affectione poſtpoſita , officium ſuum fideliter executuros , & communi conſenſu probentur : hinc parentes Eccleſiæ Decreto proponimus vobis hos A. A. R. R. viros , qui munera hæc gerant , uſque ad alteram Synodum .

Examinatores Synodales.

A. R. D. Jo. Paulus Pauletich J. U. D. Can. Cath. & Vicar. Generalis.
A. R. D. Franciſcus Alexandri Canonicus Cathedralis.
A. R. D. Jacobus Menghini Sacræ Th. Doct. & Canonicus Cathedralis.
A. R. D. Antonius Scherbich J. U. D. & Canonicus Cathedralis.
A. R. D. Franciſcus Loi Archipresbyter Bullearum.
A. R. D. Nicolaus Bonetti Canonicus Curatus Bullearum.
A. R. D. Blaſius Antonini Canonicus Manſionarius Bullearum.
A. R. D. Nicolaus Corva Plebanus SS. Viti , & Modeſti de Griſiniana.
A. R. D. Jacobus Thomaz Plebanus S. Martini de Mumiano.
A. R. D. Matthæus Dall' Oſto Cappellanus Curatus Subſtitutus S. Georgii Portularum.
R. D. Sebaſtianus Blaſut Presbyter Cathedralis.
A. R. P. F. Lector Dominicus Roſſignoli Ordin. Præd. Domin. Suæ Illuſtriſſimæ, & Reverendiſſimæ Theologus.

Qui omnes per Verbum *Placet* probati fuerunt , & coram Epiſcopo juramentum præſtiterunt.

Digitized by Google

Judices Synodales.

A. R. D. Jacobus Menghini Sacræ Th. Doct. Canonicus Cathedralis.
A. R. D. Franciſcus Loi Archipresbyter Bullearum.
A. R. D. Nicolaus Corva Plebanus Griſinianæ.

Decretum. De præſtando juramento.

JUdices, & Examinatores electi accedant ad Reverendiſſimum D. D. Epiſcopum, coram quo, ex præſcripta formula, juramentum præſtent: abſentes vero, ante ſui muneris exercitium, illud præſtare tenebuntur coram Epiſcopo, vel ejus Vicario Generali.

Decretum. De Commemoratione pro Mortuis.

Impediente Feſto S. Pelagii dupl. 1. cl. cras fieri ſolemnem Miſſam de *Requiem*, & publicam Abſolutionem pro Mortuis ab ultima Synodo Sacerdotibus, & Clericis, ne fratrum noſtrorum defunctorum Animæ hoc ſuffragio fraudentur, *Miſſa Solemnis in ipſorum ſuffragium celebrabitur. Omnes vero, & ſinguli Sacerdotes, & Clerici privatim*, loco Abſolutionis, Nocturnum Defunctorum cum laudibus recitabunt.

CATALOGUS CLERI, QUI INTERFUIT SYNODALIBUS ACTIONIBUS.

Capitulum, & Clerus Æmonienſis Cathedralis.

A. R. D. Franciſcus Alexandri Canonicus Parochus.
A. R. D. Jacobus Menghini S. Th. Doct. Canonicus Parochus.
A. R. D. Antonius Scherbich J. U. D. Canonicus Parochus.
A. R. D. Jo. Paulus Pauletich J. U. D. Can. Parochus, & Vic. Gener.
A. R. D. Hieronymus Agapito J. U. D. Can. Honorarius, & Vicarius Generalis Tergeſtinus a Parte Veneta.
A. R. D. Dominicus Fachinetti Canonicus Honorarius.
A. R. D. Matthæus Tamburini Canonicus Honorarius.
R. D. Jacobus Manzoni Manſionarius.
R. D. Dominicus Roſello Sacerdos.
R. D. Sebaſtianus Blaſut Cæremoniarum Magiſter.
R. D. Sebaſtianus Marcheſani Sacerdos.
R. D. Michael Timæus Sacerdos.
R. D. Franciſcus Vianello Sacerdos.
Octavius Marignani Clericus Lector.

Ca-

Digitized by Google

Capitulum, & Clerus S. Servilii Bullearum Collegiatæ.

A. R. D. Franciſcus Loi Archipresbyter, & Canonicus Parochus.
A. R. D. Nicolaus Bonetti Canonicus Curatus.
A. R. D. Antonius Agarinis Canonicus Manſionarius.
A. R. D. Joannes Pilaſtro Canonicus Manſionarius.
A. R. D. Blaſius Antonini Canonicus Manſionarius.
R. D. Joannes Zorzeſſa Manſionarius.
R. D. Antonius Tagliapietra Manſionarius.
R. D. Carolus Manzoni Sacerdos.
R. D. Joannes Bonetti Sacerdos.
R. D. Sebaſtianus Cerdon Can. electus, & Æconomus Manſionario.
R. D. Servilius Bonetti Sacerdos.
R. D. Joſeph Crevatto Cappellanus Suffragii.
R. D. Franciſcus Duſſich Sacerdos.
R. D. Joannes Marzari Sacerdos.
R. D. Mauritius Mataſſi Sacerdos.
Gregorius Jurovich Subdiaconus.
Paulus Lunardis Acolythus Beneficiatus.
Dominicus Quarnieri Lector.

Clerus S. Georgii Portularum Archipresbyteralis.

R. D. Rugo Franco Cappellanus Curatus.
R. D. Matthæus Bertetich Sacerdos.
R. D. Matthæus Dall' Oſto Cappellanus Coadjutor.
R. D. Petrus Baſſich Sacerdos.
R. D. Georgius Franco Sacerdos.
R. D. Matthæus Viſentin Sacerdos.
R. D. Matthæus Laganis Sacerdos.
R. D. Andreas Rota Manzini Sacerdos.
R. D. Ludovicus Lughi Sacerdos.
Joſeph Novello Diaconus.
Matthæus Bartolich Diaconus.
Cammillus Lughi Exorciſta.

Clerus SS. Viti, & Modeſti Griſinianæ Plebanæ.

A. R. D. Nicolaus Corva Plebanus.
R. D. Lucas Dubaz Cappellanus Curatus.
R. D. Joannes Michael Dubaz Sacerdos.
R. D. Matthæus Raganzin Sacerdos.
R. D. Simon Calcina Sacerdos.
Jacobus Fachinetti Lector.

Cle-

Digitized by Google

Clerus S. Martini de Mumiano Plebanæ.

A. R. D. Jacobus Thomaz Plebanus.
R. D. Joſeph d'Ambroſi Sacerdos.
Joannes Petrigna Diaconus.

Clerus S. Mariæ Pedemontis Plebanæ.

R. D. Gaſpar Belislao Cappellanus Curatus.
R. D. Petrus Fabris Sacerdos.

Clerus S. Zenonis Vertenelii Plebanæ.

R. D. Sanctes Martinelli Sacerdos.

Clerus S. Mariæ de Villanova Plebanæ.

A. R. D. Petrus Rota Manzini Plebanus.

Clerus S. Michaelis de Sterna Plebanæ.

A. R. D. Georgius Jugovaz Plebanus.
R. D. Blaſius Jugovaz Cappellanus Curatus S. Zenonis de Topolovaz.
R. D. Jo: Baptiſta Ermanis Cappellanus Curatus S. Mariæ de Gradigna.
Damianus Baſchin Subdiaconus.

Eccleſia Curata S. Laurentii in Dayla.

R. D. Daniel Coſſetto Curatus.

Eccleſia Curata S. Mariæ Tribani.

R. D. Nicolaus Craſſevaz Coadjutor.
R. D. Antonius Opatich Sacerdos.

Eccleſia Curata S. Mariæ Carſettis.

R. D. Georgius Veſnaver Curatus.

Eccleſia Curata S. Jacobi de Berda.

R. D. Petrus Viſentini Curatus.

Eccleſia Curata S. Petri de Caſtanea.

R. D. Joannes Baptiſta Vernier Curatus.

ORA-

ORATIO

Habita ab Illuſtriſs. & Reverendiſs. D. D.

FR. JOANNE DOMINICO STRATICO

EX ORDINE PRÆDICATORUM,

SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTRO, ET FLORENTINÆ AC SENENSIS UNIVERSITATUM THEOLOGO,

EPISCOPO ÆMONIENSI,

ET COMITE S. LAURENTII IN DAYLA, &c.

Primo Synodalis Seſſionis Die.

ADvenit tandem felix, fauſtaque dies, in qua mihi conceditur vos omnes in Spiritu Sancto congregatos adſpicere, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, mihi ut auxilio ſitis ad optimæ diſciplinæ ſanctiones conſtituendas; quibus non noſmetipſi modo, verum etiam nobis creditus populus tuto dirigatur per ſanctitatis ſemitas atque juſtitiæ. Equidem continuo ac ad hunc inter vos honoris gradum deductus ſum, quod plane ſentio, quam ſit mihi grave, hoc unice concupivi, hoc ferventiſſime in votis habui, ut communi veluti ſuſtinerer conſilio ad ea quæ Eccleſias veſtras Viſitans proſpexeram in gentis noſtræ utilitatem conceſſura. Gaudens ſane, & exultans in Domino (quid enim veritas laudis plena ſimuletur?) repereram in Sacerdotibus zelum, docilitatem in plebe, cultus ſacri, quantum rerum anguſtia patitur, dignitatem, quodque potiſſimum eſt, in unoquoque ferme veſtrum animum egregie ad evellenda radicitus vitia diſpoſitum, confirmandaſque virtutes, modo ſalutaribus documentis excitaremini. Conſpexi plane poſtremam Synodum ab glorioſæ memoriæ Prædeceſſore Noſtro Victorio Mazzocca, dimidio ferme jam Seculo celebratam, Vobis omnibus vivendi, agendi, docendi normam fuiſſe ſanctiſſimam; ſed quam multa erant, ob temporum viciſſitudines haud æque utilia; quam vero multo plura ea ætate prætermiſſa veluti ſupervacanea, ut in iis lege deſtituti vagari cogeremini. Mutata in melius ratio eſt, Deoque Optimo Maximo benedicente, auctus Sacerdotum numerus, templorum nitor, & cultus, populi frequentia, fortunæque; jamque noſtro Miniſterio uti non dedignatur Dominus; ut augeatur virtus, & ſanctitas animorum. In hoc itaque mea collata ſunt vota, huc contuli cogitationes. Secundus ferme labitur Annus, quo indictus hic fuerat Sacerdotum conſeſſus: ſed aliter placuit ei, qui per

cor-

Digitized by Google

corporis hebetudinem viſitavit me ; ut hactenus differre cogerer ſanctum opus ſuum ; verum ſervavit incolumem , ut tandem idipſum perficerem . O pietatis plena Providentia, quibus te laudibus extollam! Ideo dilatum eſt tempus ad Synodalem conventum , ut maturius agitatus in ipſo Patroni Noſtri S. Pelagii Martyris Feſto die , ſub ipſius auſpiciis compleretur. Jam vero convenimus : At ſoli fortaſſe convenimus ? A nobis ergo conſilia , a nobis decreta , ſanctiones , inſtituta ad Chriſtianæ plebis ſanctitatem utiliſſima proponentur ? At , dilecti Fratres , quid incertæ , & dubiæ mortalium cogitationes poſſent ? quid , niſi tenebroſum , & caliginis plenum iter ſternere timidæ hominum providentiæ , niſi juxta Euangelicam ſponſionem , Chriſtus ipſe nobiſcum adeſſet in nomine ejus congregatis? Chriſtus hic ſane præeſt , cujus nos indigni perſonam gerimus ; Pontifex animarum noſtrarum caput eſt, cujus ipſi membra ſumus , Deus incrementa iis pollicetur , quæ nos plantamus , atque rigamus . Quam magnum , quam magnificum eſt hoc , quod noſtris mentibus obvertitur? Nonne id ſatis eſt , ut tenuitatis noſtræ obliti quodammodo, invicta conſtantia , libero , & aperto zelo componendæ ad virtutem vitæ vias inveſtigemus, Deo præeunte nobis? Video equidem in adſpectibus veſtris, qua ſalutari reverentia hæc audiatis , & miſericordiarum Patri , cordis flexis genibus, gratias ago . Ceterum ne gravemini Paternæ charitati meæ concedere , ut vos *aliquanto in idipſum immorer* , nimirum quanti interſit morum innocentia , Dei nobiſcum agentis cuſtodire dignitatem . Summa res eſt Sacerdotium honoris elatione. Summum itaque eſſe oportet Sacerdotem ſanctitatis nitore . Hinc gloria, lauſque Domino profluit in Mundo , hinc virtus populi , hinc communis in Cœlo glorificatio . Paucis agam , ut anguſtia temporis patitur : utinam charitatis ſint jacula perpetuo cordibus veſtris *infixa*.

Mortalem hominem in peccatis , & iniquitate conceptum , pulverem ab initio, mox in pulverem reverſurum, adeo Chriſti virtute extolli, ut verbo, opereque ſuo animum a crimine emundet , lapſum vinculis detrahat, Deo inimicum conciliet , cœleſtia in Univerſas Creaturas chariſmata effundat ; quid plura? Reparatorem ipſum Deum , panis, vinique immutata ſubſtantia , in Euchariſtia Sacrificium offerat Patri , populis in cibum , potumque vitæ diſtribuat : magnum adeo eſt , atque mirabile , ut pene videatur Deus Omnipotentiæ jura hominibus concredidiſſe, ſive , ut id efferatur exactius , nihil ab Omnipotenti virtute ſublimius unquam actum eſt, quam vilem hominis limum ad tantæ poteſtatis elevari faſtigium . Vos eſtis , Sacerdotes, qui tanti muneris amplitudinem ſuſtinetis . Divino olim perfuſi Chriſmate Spiritus abundantiam ſuſcepiſtis : manuum impoſitione in vos Paraclitus ſua contulit dona, ut jam ſpectaculum Mundo, Angelis, & hominibus effecti ſitis, genus electum , populus hæreditatis, Regale Sacerdotium . Quid enim in Veteri Lege Sacerdotium illud fuit huic comparatum ; per quod arietum , & taurorum ſanguis effuſus ,

araſ-

Digitized by Google

araſque cruentans exile munus oblatum eſt, Deoque plane indignum, niſi Myſtica innocentis ſanguinis in ara Crucis offerendi ſignificatione ſanctificatum fuiſſet, jam ab ſeculorum initio in victimarum cruoribus præſignata? At vero: quamquam umbra illud fuerit Miniſterii noſtri, & Typus; quo in honore habitus, qua dignitatis prærogativa in veneratione fuit? Unica ſanctificatorum Tribus Levi ad ipſum delecta, gratiam, cultum, obſequium ſibi univerſi populi demeruit; illis oblationes, illis donaria, illis princeps in agendis locus, in conſiliis favor, in majeſtate gerenda officium ſervatum eſt; quin Filius ipſe Dei ex Regio ſimul atque Sacerdotali genere carnem conſtitui voluit, quam ſibi in aſſumpta humanitate conjuncturus erat; Rex ipſe nimirum gloriæ, Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.

Quod ſi adeo ſancta, magna, ſublimia habita ſunt Typi imagines, umbræ; quid de præſignato ipſo Chriſti in nos effuſo Sacerdotio cogitabimus? Id enim vero flagitatis? Atqui, quem veſtrum latet, Dei Filium reparatorem ſemetipſum Sacrificio offerentem eſſe, qui opus complet noſtri Miniſterii? Quem præterit, unicam nos eſſe cum Chriſto Sacerdote perſonam; ab illo nempe derivare in nos virtutem varia menſura diſtributam, cum juxta Hierarchici ordinis modos, munera, leges, Divina ipſi ſecum agimus, ille nobiſcum? Nonne eodem univerſa conſpirant? Nonne, quod ille ſemel in Cruce, ſemper in Altari, ſecum omnes pariter intendimus, ſacra renovantes Myſteria? Patri gloriam oblatus reddidit? Patrem, offerentes, glorificamus. In infirmitate carnis exinanitus, virtutum documenta præparavit ſumma redemptis? Angelicam a nobis puritatem, virtutis omnis culmen exigit, ut populo præluceamus. Mortalis homo factus caput populi hominum ſuit, ut ad liberatam hæreditatem Patriæ deducerentur? Duces ipſi plebis Chriſti ad Cœleſtia paſcua ſumus. Sacramenta inſtituit, quibus tanto, excellentique fini aptaremur? Eorum diſpenſatores ſumus. Hoc ſane præceptum eſt nobis, ſancti ut ſimus, non eo communi, vulgarique ſanctitatis genere, quod ſit Mortali cuique conveniens, ſed quod normam habeat, atque exemplar Deum: hoc Divinus ipſe confirmavit Magiſter, cum jam nos non ſervos, ſed amicos ſtatuit eſſe dicendos, propterea quod nobis communicare non gravaretur, quæcumque audiſſet a Patre.

Dei itaque familiares, in ſua ſecretiora advocati conſilia, divitiarum ſuarum diſtributores, reverentia, gradu, poteſtate reliquis eminentes, Patres populorum, Magiſtri conſtituti, quanta par eſt animi virtute præſtemus; quantam complecti neceſſum eſt pietatis menſuram, ne vel ab Capite noſtro diſcrepemus, vel injuriam ei creemus Domino, qui vocavit nos vocatione ſua ſancta; qui ſegregavit a reliquis populis, ut ſui eſſemus; qui nobis theſauros credidit omnipotentiæ, & miſerationum, ut ſancta diſpenſatione, correptis erroribus, vitiis eliminatis, conſtituta pietate, neminem eorum, qui nobis dati ſunt, perdi permittamus!

Ego quidem , Principem inter vos Hierarchici Ordinis tenens locum, horrore veluti quodam concuti animum ſentio , atque trepidatione commoveri, mecum ipſe recogitans , quibus, ex Sanctorum Doctorum diſciplina , dotibus fulgere neceſſe ſit , qui verbo , & exemplo eſt Gregem Chriſti deducturus . Oportet ſiquidem tali fungentem Miniſterio in omnibus ſanctum eſſe, in nihilo reprehenſibilem exiſtimari. Alienum a peccato neceſſe eſt eſſe , qui arguit alium de peccato : & ſemetipſum corrigere primum , qui ceteros ſtudet emendare . Nonne forma vivendi reliquis ſumus ? Cunctos itaque ad bonum opus , non opere modo , ſed doctrina quoque provocare debemus . Quid vero poterimus , niſi Divini eloquii ſcientiam Sacris contentam libris, nobis comparati non fuerimus ? Cujus vita ſancta unice eſt, ſibi ſolum prodeſt ſic vivens ; ſed eruditus ſermone, & doctrina ſit oportet, qui docet ſuos, atque adverſarios rejicit, ne poſſint ſimplicium corda pervertere.

Quanti eſt itaque, *Fratres*, non exemplo ſolum , ſed puro , ſimplici , aperto ſermone gravitatis , & honeſtatis pleno , ſuavitate , & gratia redundante, agere de Myſterio Legis , de doctrina Fidei , de diſciplina juſtitiæ: unumquemque diverſa exhortatione admonere , exacteque judicare, atque prænoſcere quid, cui, quando, vel quomodo proferatur? Quanti eſt Divina Biblia , Sacros Eccleſiæ Canones , Sanctorum doctrinam habere familiarem , ut modo ſalutari obſecratione , modo utili objurgatione animos lucrentur errantium filiorum? Satis hæc porro fuerint? Minime vero gentium; niſi etiam iis virtutum exercitatio, imitatio veterum Juſtorum, prudentia, humilitas adjiciatur. Auctoritate præſumus; ne ſubjectorum vitia per humilitatem convaleſcere ſinamus : humilitate coronamur; ne immodica ſeveritate poteſtatis habitudinem infringamus.

Quamobrem uſque ab Catholicæ Eccleſiæ originibus frequens Synodorum convocatio ſtatuta , laudata , decreta eſt ; ut communi conſenſu ad initia ſua Sacerdotalis Ordinis puritas , eliminatis , ſi quæ per tempora irrepſerunt, perturbationibus revocetur, ſcientiarumque Sacrarum adipiſcendarum efferveſcat zelus , ſternantur faciliores viæ , denique Spiritu Domini ſuggerente , graviora probentur conſilia , ut verbis , operibus, doctrina , charitate Populo ad beatum perpetuæ ſalutis terminum præſto ſimus . Neque æternam modo , verum etiam temporalem illi felicitatem ſancta diſciplina paramus . Magno certe in errore verſatur , qui putat fortunas , pacem , tranquillitatem , jucunditatem vitæ , in quibus locata eſſe videtur humana felicitas, ſervari poſſe , exulante charitate , veritate, fide recta ſociali. Neque minus labitur a veritate , qui exiſtimat, publicæ morum honeſtati non conferre plurimum Sacerdotalem diſciplinam. Religionis adminiſtratione venerati ; majore Scientiarum opinione admirati; probitatis graviore præſumptione protecti ; ſi his vere nitemus dotibus , quæ nobis communi judicio concenduntur , facile non Cives modo ſanctorum , & domeſticos Dei , ſed probos in ſocietate viros inſtituere poſſu-

Digitized by Google

poſſumus, utiles Reipublicæ Cives obſequentes, Imperantibus ſubditos, & Divinæ Legis indicta cuſtodia, humanis pariter Legibus devotos, quæ nihil ſine moribus ſane proficiunt.

Jam vero in hoc ſumus, Venerabiles Fratres: ordinare nitimur ſalubribus Decretis, exemplo Majorum, quæ in noſtram, Eccleſiæ, populi ſalutem, proficiant. Synodum agimus diu a Nobis optatam, temporum fortaſſe inclementia dilatam nimis. Dimidio jam lapſo Seculo, quantum, exigentiæ, neceſſitates, modi, diſcrimen ſuſceperunt! Nos ea proponemus, quæ ſalubriora cenſuimus, habito ſapientiorum conſilio. Audientes ad veritatem judicabitis, quantum Dominicam boni Paſtoris ſententiam adoremus, qui ſuavitatem cordiſque humilitatem nos docuit, ut jugum ſuum ſuave ſit, & onus leve, ut qui laborant, & onerati ſunt ſarcina peccatorum, reficiantur. Petimus a vobis, Sacerdotes, exequi, docerique non adſpectu rigidam, difficilemque virtutem, quæ hebetiores exanimet ſectatores ſuos, urbanitatis, officiorumque inimicam, vixque propterea dignam appellatione virtutis. Virtutem exigimus ſolidam, nobilitatis plenam, charitatis, hilaritatis, quæ per ſuavitatis ſemitas optimos fideles Chriſto pariat, Cives honeſtos. Pax, gaudium, ordinis ſtudium, neceſſitudo ſincera, præjudicatarum opinionum excluſio, benignitas, charitatem omnium Reginam comitantes. Æque procul abſint ignorantia, ſuperſtitio, hypocriſis, ut impietas, morum licentia, opinionum temeritas, ſcientiæ ſtultorum. His ſane liberari morbis indiget Diœceſis noſtra: His ut medeamur incommoditatibus, operi manum admovemus. Ne nobis ipſis aſſentemur. Rudem, & incultum regimus populum: Gratiæ Dei ſit opus, illum ad vitam meliorem reducere noſtro Miniſterio. Id Ego, quamdiu vivam, vehementiſſime curabo, etiamſi vita ipſa profundenda foret; tantum aberit, ut ab prævaricatorum, & malorum hominum deterrear odiis, a quibus equidem glorior me immunem non eſſe. Hæc Nobis erit memorialis dies, qua nos, noſtroſque ſanctificare adorti ſumus. Hæc nobis Synodus agendi, vivendique norma erit; ad hanc exteriorem morum diſciplinam componemus: interiorum unice Judex erit Dominus ſcrutans renes, & corda. Interim Spiritum imploremus Domini, lucis ut ſuæ radio emiſſo, igneque ſui amoris in cordibus accenſo, quæ recta ſunt, videamus, agamus, ſanciamus. Mariam Deiparam Patronam, SS. Martyres Maximum & Pelagium Interceſſores auſpicemur. Veni lumen cordium, firma nos perpeti virtute, ut quemadmodum in Chriſti nomine cœpimus, ita in ipſo perficiamus, qui cum Patre, & tecum vivit, & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

In Secunda Seſſione habita eſt Oratio de Laudibus S. Pelagii Martyris Æmonienſis Diœceſis Patroni a Nicolao Bonicelli Jadrenſi Cive, quæ typis edita eſt.

Digitized by Google

O R A T I O

Habita in Tertia Synodali Seſſione ab A. R. P.

FR. DOMINICO ROSSIGNOLI

ORDINIS PRÆDICATORUM

SACRÆ THEOLOGIÆ LECTORE,

Et Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi D. D.

EPISCOPI THEOLOGO.

SI quis unquam inexpectatus, magiſque expetendus honos contigiſſe mihi potuerit, ille profecto eſt, Illuſtriſſime Reverendiſſime Præſul, Humaniſſimi, ac Religioſiſſimi Sacerdotes, quo me hodierna die exornatum video, atque ampliſſime cumulatum. Ecquid enim præter omnem ſpem, & expectationem accidere potuit mihi nullius ſane inter vos dignitatis, quam quod in hoc ſacro loco auctoritatis pleno, in hac tanta graviſſimorum Patrum frequentia & celebritate, ſolemnem ſermonem habere conceſſum fuerit? Ecquid amplius exoptandum, mihique in votis, deliciiſque magis eſſe potuit, quam lectiſſimam hanc Parochorum Coronam intueri, ſuaviſſimam optimi ac amantiſſimi Paſtoris noſtri præſentiam, Æmonienſis hujus Diœceſis, ut vere dicam, gaudium atque lætitiam contemplari, atque admirari? Illius erga me ſingulari benevolentiæ id omnino debeo, ne alia recenſeam beneficia ſane multa, quod in conſpectu veſtro aſſidere licuerit, vobiſque verba facere, quos, Deo jubente, teneor ſumma proſequi honorificentia, & veneratione: *Presbytero humilia animam tuam (Eccleſ. 4. 7.)*.

Verum; unde ducere queam dicendi argumentum, quod neque terminos brevitatis tranſiliat, quos inter mea coerceri debet Oratio, neque videatur aſſumptum ad eos erudiendos, a quibus ego potius præſtolari debeo inſtructionem atque doctrinam? Sanctitas legum in hac ſacra Synodo inſtitutarum, vehemens deſiderium ac zelus, quo vos omnes flagrare deprehendo ad Dei cultum magis magiſque in hac Diœceſi promovendum, pietas atque prudentia, quam unuſquiſque veſtrum vel extrinſecus præfert, maxima ſolicitudo veſtra abuſus omnes, & vitia evellendi, & ſartam tectam ſervandi Eccleſiaſticam Diſciplinam, Sacrorumque Dogmatum integritatem, & vitæ morumque ſanctimoniam, non alias in me ingerunt cogitationes & ſenſa, quam quæ Deus ipſe habere me præcipit, nempe quod Divinam ejus Sapientiam in vobis ſuſpiciam, quod Sanctionibus, Statutiſque veſtris me ex corde conjungam, quod debitas jure optimo referam

Digitized by Google

ſeram laudes , tum ei qui huic Synodo præſidet , tam inſigni doctrina , zelo , humanitate , manſuetudine præditus , tum etiam vobis ipſis , qui eodem , ac Paſtor , ſtudio ac Spiritu incenſi tali ac tanta maturitate & Sapientia una cum ipſo deliberatis . *In multitudine Preſbyterorum prudentium ſta*, *& Sapientiæ illorum ex corde conjungere*, *ut omnem narrationem Dei poſſis audire*, *& proverbia laudis non effugiant a te* (*Eccl*. 6. 35.).

Quocirca haud aliquem veſtrum eſſe arbitror in me ita injurioſum, ut male ſuſpicari poſſit, me tanti beneficii magnitudinem, veſtram omnium, quotquot hic adeſtis, ſapientiam , meam vero tenuitatem ita oblitum eſſe, ut vos prudentes viros , dignitate ornatos nunc de officio admonere, ac de præceptis inſtruere audeam, quorum alterum dementiæ eſſet , arrogantiæ alterum intolerandæ. Quæ cum ita ſint , cogitanti mihi quid vobis gratius , quid mihi , utpote Præceptoris onus in hac Diœceſi , licet immerito , ſuſtinenti opportunius , quid Comitiorum univerſitati convenientius dici poſſit ; id in mentem venit ſumma animi demiſſione vobis ante oculos ponere debitum illud , quo obſtringitur Perſona Eccleſiaſtica, & quæ in Paſtorali Officio partem aliquam explet , videlicet in ſacra ſtudia incumbendi , quibus & Sacrorum Dogmatum ſcientiam , & Moralis doctrinæ præcepta explanare Ovibus poſſit. Jam vero orationem meam paucis expediam , nedum ut minori vos moleſtia afficiam , verum etiam , ut majus vobis tempus ſuperſit , ea definiendi , quæ ad præſens attinent inſtitutum , ac demum ut monitum illud Eccleſiaſtici ſervem : *Noli verboſus eſſe in multitudine Preſbyterorum* , *& non iteres verbum in oratione tua* (*Eccl*. 7. 15.). Attentionem , veſtramque in me propenſionem poſtulare ſupervacaneum puto , tum quod nemo non ſit in hoc præclariſſimo Cœtu , ut valde confido , mihi benevolus , tum quod comparatos ad audiendum animos ſibi faciat nobis omnibus communis argumenti utilitas , atque dignitas.

Nihil mihi opportunius videtur , quo neceſſitatem ac debitum in ſacra ſtudia incumbendi vobis oſtendam, & inculcem, quam ad ſacrorum Codicum originem aſcendere , vobiſque rationes ac motiva detegere , ob quæ nobis eos Divina Sapientia reliquit . Longior fortaſſe narratio erit , ſed quæ veſtra pietate non eſt indigna . Viginti & amplius ſeculorum ſpatio Deus O. M. voluit per ſeipſum interioribus animi illuſtrationibus antiquos Patres inſtruere , utpote qui integritate morum , vitæque innocentia tam inſigne beneficium promeriti ſunt. Tunc carebant Codicibus , Sacriſque Scripturis , nec quiſquam Theologi vel Caſuiſtæ per ſe munus obibat. Ipſa Dei vox , quæ mortalium animis inſonabat, directrix erat cogitationum & operum , ipſaque revelatio ſanctis primum Patriarchis facta , deinde perenni traditione ad tardam poſteritatem integre fideliterque tranſmiſſa , erat ſolum exemplar , & medium , quo circa fidem in futurum Meſſiam informabantur , & circa neceſſarium Dei cultum , nec non juſtificationem impiorum , atque æternæ beatitudinis conſecutionem. Poſtmo-

modum vero, cum plurimi a majorum ſuorum pietate defeciſſent, & loco rectæ conſcientiæ, pravorum affectuum, & paſſionum vocibus præbuiſſent aures, Clementiſſimus Deus, ut humano generi in perniciem ruenti opem ferret, ſuamque legem ab innumeris erroribus deformatam atque corruptam redintegraret, Patrumque traditiones in priſtinam puritatem reſtitueret, interiori voci, animique illuſtrationibus extrinſecam Legem, ſive Moyſis Libros ſubſtituere voluit; ne in iis, quæ credenda eſſent, atque facienda, error amplius ſubreperet, reclamante infallibili Scripturæ textu quibuſvis humanæ malitiæ deliramentis.

Hanc ipſam methodum, quam plurimis ſeculorum revolutionibus Divina Sapientia ſervaverat, retinere pariter voluit, quando ad redimendum genus humanum naturam noſtram aſſumere non recuſavit. Ad erudiendos quippe diſcipulos ſola voce uſus eſt Chriſtus Dominus, neque doctrinæ ſuæ præcepta, & arcana myſteria ſcriptis mandavit. Illius Sancti, fideleſque diſcipuli ita animo diſpoſiti erant, ut ea & probe intelligerent, & incorrupta ſervarent. Quapropter, cum eſſet jamjam diſceſſurus e mundo, & ad Patrem reverſurus, quomodo diſcipulorum ſuorum triſtitiam lenire ſategit, aut quid illis ſpopondit? Non jam, quod aliquod e Cœlo volumen, ſed quod Spiritum Sanctum miſſurus eſſet, qui & clariſſima luce illorum mentes illuſtraret, & Divini amoris igne corda illorum accenderet, & ita illis adeſſet, ut nullum circa ea, quæ ad ſalutem pertinent, & quæ alios docere deberent, in errorem laberentur. *Paraclitus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia* (*Joan.* 14.). Ea, quæ pollicitus erat, affatim impleta ſunt. Diviſi ſiquidem, & in varias mundi partes profecti diſcipuli, doctrinam, quam audierant a Chriſto Domino, longe lateque viva voce diſſeminarunt, neque, ſi poſtea ſcripſere nonnulla, integrum Theologiæ corpus mandare poſteris ſibi in animo propoſuerant, ſed potius ut fidelium deſiderio ac pietati ſatisfacerent. Semper enim præ oculis habebant illud, quod legitur Jeremiæ 31. *Ecce dies venient, dicit Dominus; & feriam domui Iſrael, & domui Juda fœdus novum: non ſecundum pactum, quod pepigi cum Patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti, pactum, quod irritum fecerunt; Et ego dominatus ſum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Iſrael poſt dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam; & ero eis in Deum; & ipſi erunt mihi in populum: & non docebit ultra vir populum ſuum, & vir fratrem ſuum, dicens: Cognoſce Dominum; omnes enim cognoſcent me a minimo eorum uſque ad maximum, ait Dominus.* Hinc poſtquam Apoſtoli, ſive Hebræos, ſive Gentiles ad fidem converterant, eoſque Divinis dogmatibus, morumque præceptis optime informarant, jamjam diſceſſuri, illud eis magnopere commendabant, ut doctrinam eorum auribus cordibuſque ingeſtam, quam diligenter cuſtodirent: *Tenete traditiones, quas didiciſtis* (2. *Theſſ.* v. 14.).

At

Digitized by Google

At vero; quemadmodum priſcis illis temporibus Legi, ut ita dicam, orali, Legem ſcriptam ſubſtituere opus fuit; ita etiam poſt Chriſti Domini adventum, & poſtquam exortæ ſunt hæreſes, & vitium ſummopere increvit; tunc enim, ut inquit Chryſoſtomus, neceſſe fuit, ut ſacra dogmata ac præcepta moralia literis conſignarentur, ne veritas deformaretur erroribus, & virtus oppreſſa vitiis extingueretur. Melius ſane fuiſſet, nos libris non egere; & talis vitæ noſtræ eſſet integritas, & ſanctimonia, ut ſine librorum ſtudio mereremur a Spiritu Sancto immediate edoceri. En ſancti Doctoris verba: *Oportuerat quidem nihil nos indigere auxilio literarum, ſed tam mundam in omnibus exhibere vitam, ut librorum vice gratia Spiritus Sancti uteremur: & ſicut atramento, ita corda noſtra inſcriberentur a Spiritu* (*Hom.* 1. *in c.* 1. *Matth.*). At, quoniam peccatis noſtris longe depulimus ſingularem hanc Divini luminis gratiam, quid nobis reliquum eſt? Hoc nimirum; ſubdit Chryſoſtomus, ut ſtudio atque labore conſequamur, quod culpa noſtra perdidimus. *Quia hanc a nobis excuſſimus gratiam, age ut ad ſecundam navigationem animum adjiciamus. Nam* (idem proſequitur Doctor) *quænam dementia eſſet, poſtquam plurimorum colluvie malorum, quæ univerſum infecere, immediato Dei magiſterio nos indignos reddidimus, neque hoc uno remedio, quod nobis ſupereſt, uti vellemus? Si culpa eſt his exterioribus indigere adminiculis, & interiori Spiritus Sancti gratia nos indignos reddidiſſe; quodnam ſcelus erit ex ſocordia noſtra hiſce Libris proficere nolle, vel, quod eſſet deterius, eoſdem deſpicere, ac propterea majus graviſſimæ pœnæ periculum ſubire? Si illis egere* (concludit Chryſoſtomus) *& non gratia Spiritus Sancti ſplendere culpabile eſt: vide quanti ſit criminis, nec per illud auxilium velle proficere, ſed quaſi fruſtra, ac varie poſita cæleſtia ſcripta deſpicere, & majus abſque dubio ſubire ſupplicium.*

Quamvis autem hoc ſancti Doctoris argumentum omnes indiſcriminatim credentes afficiat, qui tempus, facultatemque habeant navandi operam Sacris hujuſmodi ſtudiis, & ex oppoſito legant vel inutiles libros, vel etiam valde periculoſos, negligantque earum rerum eruditionem & ſcientiam, quæ ad hominum ſocietatem, æternamque ſalutem ſunt maxime utiles, præcipue tamen nos ipſos obſtringit, quos Divina Sapientia quaſi populi Ductores deſtinavit, & quaſi depoſitarios myſteriorum ſuorum, fideleſque Sacramentorum miniſtros. Hæc ratio fuit, cur Malachias Propheta tam acriter inveheretur in Sacerdotes Hebræos, qui, cum potiſſimum incumbere debuiſſent in ſtudium Divinæ Legis, populumque docere, aliis plane diverſis, ſive ſtudiis, ſive negotiis operam dabant. *Ad vos* (ita Malachias) *mandatum hoc, o Sacerdotes: ſi nolueritis audire, & ſi nolueritis ponere ſuper cor, ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum: Mittam in vos egeſtatem & maledicam benedictionibus veſtris, & maledicam illis: ... ecce ego projiciam vobis brachium, & diſpergam ſuper vultum veſtrum ſtercus ſolemnitatum veſtrarum, & aſſumet vos ſecum; & ſcietis, quia*

quia miſi ad vos mandatum iſtud , ut eſſet pactum meum cum Levi . Pactum meum fuit cum eo vitæ & pacis .... Lex veritatis fuit in ore ejus , & iniquitas non eſt inventa in labiis ejus ; in pace & æquitate ambulavit mecum , & multos avertit ab iniquitate . Labia enim Sacerdotis cuſtodient ſcientiam , & Legem requirent ex ore ejus : quia Angelus Domini exercituum eſt . Vos autem receſſiſtis de via , & ſcandalizaſtis plurimos in lege : irritum feciſtis pactum Levi , dicit Dominus exercituum : propter quod & ego dedi vos contemptibiles , & humiles omnibus populis , ſicut non ſervaſtis vias meas , & accepiſtis faciem in lege (*Malach.* 2. 1.) . Hactenus Malachias nomine Altiſſimi .

Hæc Malachiæ verba non retuli , o Venerabiles Sacerdotes , quaſi arbitrarer , ex hujus pacti legiſque tranſgreſſione , quam Deus Levitico Ordini impoſuit, colendi ſcilicet Sacram Doctrinam , eamque fidelibus explanandi, in nos redundare ea mala , quæ modo perferimus , & hac de cauſa Sacerdotalem Ordinem deſpectui eſſe apud homines Seculares . Solum itaque retuli Propheticum textum eo animo , eoque conſilio , ut graviſſimam illam obligationem oſtenderem , quæ nos omnes obſtringit , colendi ſcilicet Sacram Doctrinam , præſertim vero Divinam Scripturam , ut poſſimus ſanioris doctrinæ pabulo Chriſti Domini oves enutrire , & muneri noſtro, ut opus eſt, ſatisfacere. Si Sacerdos doctrinam iſtam non calleat , quomodo poterit alios inſtruere ? Ignoratio , quæ in ſimplici Laico eſſe poteſt immunis a culpa ; in nobis , qui ratione ſtatus & muneris , ut inquit Angelicus, *ſcire tenemur* , a culpa immunis non erit . Populus , qui vel perperam , vel non ſatis inſtructus fuerit , errando fortaſſe non peccabit: ſed culpa, quæ non imputabitur ovi, imputabitur proculdubio Paſtori , iſque non ſolum propriis , ſed etiam alienis gravabitur oberrationibus, & delictis.

His adjungere poſſem ſacros Canones , Conciliorumque Decreta . Verum his, brevitatis gratia, prætermiſſis , ſolum referre lubet verba Apoſtoli Pauli 1. ad Timot. 5. ſcribentis : *Qui bene præſunt Preſbyteri , duplici honore digni habeantur , maxime qui laborant in verbo & doctrina . Dicit enim Scriptura: Non alligabis os bovi trituranti* (*Deut.* 25. 4.) *: & , dignus eſt operarius mercede ſua* (*Math.* 10. 10.). Audiſtis? Digni ſunt duplici honore Presbyteri , ſed ii *qui bene præſunt :* hoc eſt , qui ſedulo & diligenter docent , & prædicant Euangelium , & gregem Chriſti rite gubernant , ut exponunt Interpretes , & , ut idem Apoſtolus ſubdit : *Qui laborant in verbo & doctrina* . Iſti operarii , ut ait laudatus Paulus, *digni ſunt mercede ſua ;* & verbum Dei triturantibus os alligari non debet. At contra , qui ignorant , aut negligunt ea , quæ ad populorum ſalutem ſunt neceſſaria, qui conſulunt ſibi ipſis, non gregi, qui Paſtorale munus, tanquam otii, quietiſque ſtationem reſpiciunt, duplici illo honore , quem ex Apoſtolo commemoravimus , jure ac merito privari merentur . Igitur ad ea omnia, quæ diximus, præſtanda rigoroſe tenetur quicumque Eccleſiaſti-

Digitized by Google

ſiaſticum Miniſterium exercet, quodque, cum olim plerique ex Levitico ordine neglexiſſent, in cauſa fuit, quod Propheta Ezechiel in hæc verba proruperit: *Væ Paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos: nonne greges a Paſtoribus paſcuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſum erat, occidebatis; gregem autem meum non paſcebatis. Quod infirmum fuit non conſolidaſtis, & quod ægrotum, non ſanaſtis; quod confractum eſt, non alligaſtis; & quod abjectum eſt, non reduxiſtis; & quod perierat, non quæſiſtis: ſed cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentia. Et diſperſæ ſunt oves meæ, eo quod non eſſet Paſtor, & factæ ſunt in devorationem omnium beſtiarum agri, & diſperſæ ſunt. Propterea Paſtores audite verbum Domini: Vivo ego, dicit Dominus, quia pro eo quod facti ſunt greges mei in rapinam, & oves meæ in devorationem omnium beſtiarum agri, eo quod non eſſet Paſtor; Ego ipſe ſuper Paſtores requiram gregem meum de manu eorum, & ceſſare faciam eos ut ultra non paſcant gregem, nec paſcant amplius Paſtores ſemetipſos; & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit ultra eis in eſcam. Hæc dicit Dominus*. Ita Ezechiel (*cap.* 34. 2.).

Deus tamen avertat, quod quemadmodum Synagoga poſt minas haſce graviſſimas omnem auctoritatem amiſit; ita aliquid ſimile Novæ legis Sacerdotibus accidat. Solum mihi liceat ultimo loco Sanctorum Patrum doctrinam exponendo, eorumque gemitus deſcribendo timorem vobis ſalutarem incutere. In eorum ſcriptis invenio, quod ſummo quidem obſequio Sacerdotalem dignitatem proſequebantur, eamque maximo habebant in pretio, ſed ſimul eorum inſcitiæ & ignaviæ maximam peccatorum partem, quæ patrabantur a populo, adſcribebant. Ita in eorum Homiliis, ita in Synodis Provincialibus, ita in Œcumenicis malum hoc maximum deplorabant, ut certum eſt, compertumque. Putandumne hac noſtra ætate aliter ſe rem habere, & quod gravitas morum, errorumque colluvies, atque culparum, ex alio fonte, quam e Miniſtrorum ignoratione & incuria proficiſcatur? Qui ita ſentiret, & nimis eſſet injurioſus antiquis, & recentibus nimium aſſentator. Res plane certa atque evidens eſt, Paſtores muneri ſuo non ſatisfacere, ſi in prædictis deficiant, quamvis in ſeipſis, ut olim Pontifex Heli, nihil vituperabile præſeferrent. Apoſtolus quippe vult Eccleſiæ adminiſtrum, nedum ſobrium eſſe, caſtum, modeſtum, irreprehenſibilem, ſed etiam *Doctorem*, qui nempe *potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt, arguere*. Satis itaque non eſt, quod Animarum curator *amplectatur eum*, inquit Apoſtolus, *qui ſecundum doctrinam eſt fidelem ſermonem*, videlicet, quod nullum in ſeipſo, vel contra Catholicum Dogma, vel contra Moralem Doctrinam admittat errorem; ſed inſuper debet alios exhortari in doctrina ſana, & in viam ſalutis dirigere, ac præterea eos, qui contradicunt, arguere, ideſt, ovile ſuum a lupis tutari, refellendo falſas, erroneaſque doctrinas.

Utinam ſaltem valerent omnes Eccleſiæ Miniſtri juxta Apoſtoli dicta exhor-

Digitized by Google

exhortari in Doctrina ſana, neque populum aut laxiores doctrinas, aut apertos errores docerent. Si omnes ii, qui noſtris hiſce temporibus optant, ut Jacobus Apoſtolus ſcribit, fieri Magiſtri, & ad regimen animarum aſpirant, purioris doctrinæ pabulum ſuppeditare ovibus ſcirent, res utcumque ferenda Epiſcopis eſſet. Nam, quod inſuper Paulus neceſſarium eſſe ducebat, nimirum eos qui contradicunt, arguere, libertinos, incredulos, ſectarioſque confutando, ſolis Theologis, eximiiſque Doctoribus, reſervatum exiſtimatur. Quocirca Babylon in blaſphemias erumpit: Hieruſalem prophanis ſermonibus infecta eſt: filii Agar vocem ſuam petulantem exaltant, & perniciem fidelibus inferunt, quia Paſtores eoſdem refellere vel ignorant, vel negligunt. Magni nominis viri, inſigneſque Theologi plerumque in locis tantum celebrioribus inveniuntur. Aliis in locis Doctores atque Magiſtri ſunt Parochi, qui ſi neſciant & gregem ſuum informare, & a falſis Prophetis, impoſtoribuſque defendere; quodnam excidium gregi non imminebit? Quiſnam erit locus tam remotus, & ab hominibus ſegregatus, quo dæmonis arte non irrumpant lupi rapaces, Animarum cladem inferre cupientes? Utinam quotidiana experientia id pluribus in locis non confirmaret.

Quocirca unum ex præcipuis, efficacioribuſque remediis, quibus occurratur ingentibus malis, quæ Dei Eccleſiam affligunt, *proculdubio* eſt dare operam *ſtudiis ſtatui noſtro reſpondentibus*. Fides noſtra non Infidelium aggreſſiones, ſed Miniſtrorum ſuorum ignorantiam metuit. Perduellium inſultus ſolum id præſtitere, ut fides noſtra novos, illuſtrioreſque reportaret triumphos. Contra vero, quod ei maximum intulit detrimentum, & dedecus, Paſtorum ignorantia fuit. Huic præcipue tribuenda videtur tot florentiſſimarum Provinciarum jactura: Huic tot chriſtianorum, qui in medio Eccleſiæ degunt, pravitas morum, & corruptio doctrinæ. Lutheri, Calvini, aliorumque Heterodoxorum debacchatio luculentiorem reddidit doctrinæ Catholicæ veritatem: Nos nos ipſi neceſſarii luminis deſtitutione fœdare poſſumus venuſtiſſimam Eccleſiæ faciem, eamque ad filiorum ſuorum errata amare deflenda compellere.

Quoniam igitur, ſingulari Dei providentia, nobis datus eſt Præſul tali, ac tanta rerum omnium, & maxime Eccleſiaſticarum ſcientia, & eruditione præditus, ut Sapientiorem nedum invenire, ſed neque optare poſſemus, quique Synodalibus inſtitutis, Doctrina, adhortationibus, & exemplo ad ſacra ſtudia, Sanctorumque ſcientiam pro viribus excolendam jugiter acuit, & inflammat, hoc unum ſupereſt, quod vos illius deſiderio, & vocationi veſtræ fideliter reſpondeatis, Synodicas leges hilariter amplectendo, ſeligendo ſanioris doctrinæ libros, eoſque ſæpe ſæpius relegendo, quo muneri veſtro ſatisfacere valeatis, oviumque promovere ſalutem, & digniſſimo Præſuli veſtro ſummam afferre lætitiam atque conſolationem. Dixi.

SES-

Digitized by Google

SESSIO PRIMA

CAPUT I.

De Fide Catholica.

QUONIAM ex Apoſtoli Pauli ſententia, ſine Fide impoſſibile eſt placere Deo; nam ipſa fundamentum Legis eſt, vitæ janua, lux animi, virtutiſque omnis, atque boni operis fons, & origo, æquum, atque conveniens eſt a publica ipſius fidei Profeſſione Synodum hanc Noſtram exordiri, ut Apoſtolicis Sanctionibus, præſertim vero Sacroſancti Tridentini Concilii Decretis pareamus, ore confitentes ad ſalutem quod corde credimus ad juſtitiam, & ut in hanc conſolemur, quæ invicem eſt, fidem noſtram. Itaque in ejus obſequium redigentes intellectum, juxta præſcriptam a Pio IV. Pontifice, communique S. Matris Eccleſiæ uſu receptam formam, fidem Orthodoxam coram Deo provolutis genibus profeſſi, volumus, ut ſecundum Canonica inſtituta, & peculiarium Eccleſiæ Noſtræ Synodorum definitiones, expreſſe emittatur ab Unoquoque promoto ad Dignitates, Canonicatus, Parœcias, atque Beneficia Perpetua quævis in univerſa Diœceſi coram Nobis, aut Vicario Noſtro in ſpiritualibus Generali inter duorum menſium ſpatium ab impetrato Beneficio. Canonici inſuper, tum Cathedralis Ec- Fidei Profeſſio a quibus emittenda.

Digitized by Google

cleſiæ, tum Collegiatæ S. Servilii Bullearum, hanc ipſam coram ſuo Capitulo, ut in Tridentina Synodo præceptum eſt, renovabunt: ſecus ſi fecerint, ſe malæ fidei Beneficiorum poſſeſſores fore ſciant, & ad fructuum reſtitutionem omnino teneri.

Ceterum Prædeceſſorum Noſtrorum piis inſtitutionibus inhærentes hanc eamdem Fidei Profeſſionem ab omnibus iis Sacerdotibus, ſive Sæcularibus, ſive Regularibus expreſſe emitti mandamus, qui per patentes Literas, Fidelium Confeſſionibus excipiendis, vel Divino Verbo annunciando probati fuerint, vel ad tradendas ex profeſſo Sacras diſciplinas delecti, pœna Suſpenſionis ab earum facultatum exercitio adverſus contrafacientes indicta; cum nihil adeo interſit, quam ut de Orthodoxa eorum Fide conſtet publicitus, quibus vel in Verbi *Miniſterio*, vel in graviſſima Sacramenti *Pœnitentiæ adminiſtratione*, vel in Sacris *Inſtitutionibus*, cœleſtis doctrinæ pabulum Fidelibus diſtribuendum concreditur.

CAPUT II.

De Hæreticis, & Blaſphemis.

Divinæ pietatis ſingulari beneficio effectum eſt, ut ab hac Noſtra Diœceſi procul abſit omnium Infidelium, Hæreticorum, Schiſmaticorum execrabile genus; quare humili, & devoto corde Patri miſericordiarum gratiæ reddendæ, quod per ſalutaria Paſcua, ſine venenoſi ceſpitis offenſione, puſillum hunc electorum gregem ad ſalutem deducat. Sed quoniam novit inimicus homo in agro Domini ſuperſeminare Zizania, atque adeo præſtat puritas Fidei, ut qui deficit in uno factus ſit omnium reus, hinc præcipue Paſtoralis Noſtræ ſolicitudinis partes ſunt inceſſanter intendere, ne cujuſpiam traditæ nobis Ovis animus tabifico infidelitatis morbo corrumpatur.

Quamobrem commendamus Parochis, aliiſque omnibus curam Animarum gerentibus, ut frequenter Populo commemorent, captivandum eſſe intellectum ſub Fidei documentis, atque expectandam in æterna Patria ſublimium myſteriorum claritudinem, quæ ſunt auguſto Fidei velo contecta, neque de iis inquirendum curioſius, quæ vadem habent ac ſponſorem Deum, ſed iteratis Actibus Fidei, & reliquarum Theologalium Virtutum eſſe donum hoc immaculate cuſtodiendum. Si qui vero vehementioribus Satanæ tentationibus confligantur, hi Sacerdotum ore cognoſcant Sacramentorum frequentia, & abſtinentia a gravibus peccatis, præſertim ſenſualibus, quæ, Angelico docente, men-

Digitized by Google

mentis cæcitate caſtigantur , poſſe ſe animi docile obſequium recuperare .

Ceterum , cum deplorabili experientia compertum ſit interiores haſce perturbationes ex exterioribus depravatis cauſis frequentius urgeri , in quibus Librorum pravorum lectio maximum tenet locum , hortamur animarum Paſtores per viſcera Jeſu Chriſti , ut penes quemcumque Libros Interdictos , ſine debita facultate , ſervatos cognoverint , eoſque potiſſimum , qui Philoſophiæ inaniter jactato vocabulo , immobilia Religionis fundamenta convellere nituntur , eos omnino ſubtrahant , & ad Nos deferant flammis abſumendos : Neque Pœnitentem abſolvant , niſi incenſis , vel ad ſe delatis ejuſmodi Libris , ipſumque omnino cogant Nobis , ſi qui forent talium Librorum diſſeminatores , denunciare , ut vel charitatis artibus , vel auctoritatis implorato Præſidio , dilectam Nobis Plebem a tanta clade ſervare immunem poſſimus ; quæ cum nondum inducta ſit , tanto nos vigilantius excitat , ut impediatur. Libri prohibiti omnino vetiti.

Revocamus in memoriam Parochis , & Confeſſariis omnibus debitum Pœnitentes commonendi graviſſimæ obligationis deferendi ad Nos quemlibet ſive Incolam , ſive Peregrinum , qui erroneum quidpiam adverſus Fidem docuerit , vel contumelioſa de Religionis myſteriis , Ritibus , documentis verba protulerit ; neque Abſolutionis Beneficium iis conferri poſſe , qui id negligant , vel omittant . Namque , cum non modo Eccleſiaſticis , verum etiam Civilibus Legibus Religionis puritas , externique Ritus ſanctitas protegatur , non prætermittemus a Publica Pietate validiorum ſubſidiorum procurationem adverſus eos , quos paterna lenitas Noſtra reddere nequeat meliores . Qua ſuper re Sacerdotum fratrum Noſtrorum in Diem Domini Conſcientias oneramus , cum tanto magis interſit deſidiæ locum non dare , quanto principiis obſiſtendum eſt , ne eorum quos in Fide regeneravimus , & qui dati nobis ſunt , ut ſervarentur , quiſquam noſtra negligentia pereat , & in mentis ruinam prolabatur. Hæreſim docentes ad Epiſcopum deferendi.

Verum , quoniam in pleriſque Fidelium licet integra in animo cuſtodiatur Fides , externa tamen ejus puritas blaſphema loquendi ratione violatur , & contemnitur , non pertinaci quidem ſententia , quod , Angelico docente , Hæreſim conſtituit , ſed vel damnabili paſſionum impetu , vel iniquo uſu & habitudine , huic etiam deteſtando abuſui efficaciter mederi operæ pretium cenſemus. Sunt autem Blaſphemiæ in Deum , Sanctos , & Creaturas in ipſum ordinatas , vel Hæreticales , cum quidpiam Divinitati debitum perverſo ſermone detrahitur , vel indignum tribuitur , idemque circa Sanctos , vel Creaturas in Deum directas Blaſphemiæ graviſſima malitia & pœna.

ctas præſtatur; vel Simplices, cum contumelioſis modis, & vocibus auguſta Cœleſtium nomina vituperantur. Neceſſe eſt igitur Parochorum miniſterio maximum adverſus tantum ſcelus horrorem in Populo excitari, expoſita nimia Animæ, corporis, & fortunarum perditione ex blaſphemandi conſuetudine. Hoc unum ad hujus culpæ æſtimandam gravitatem ſatis eſto, quod cum crimini cuivis, per gratiam Mediatoris, parata ſit venia, tamen ut Blaſphemis emendationis difficultas pateat, effatum a Chriſto ſit, eſſe quoddam Blaſphemiæ genus quod non dimittetur, neque in præſenti Seculo, neque in futuro. Crimen ſane hoc, licet non, ut olim in veteri Lege, temporali morte punitum, tamen cauſam eſſe non poſtremam calamitatum humanarum, Patrum teſtimonia docent; Divina nempe ſeſe effundente ultione in ſancti ejus nominis, unde omnis boni fons manat, impudentes contemptores.

Blaſphemiæ hæreticalis crimen Epiſcopo reſervatum.

Porro Hæreticalium Blaſphemorum abſolutionem Nobis, ut inferius dicetur, reſervamus. Simplicis vero Blaſphemiæ habituales reos, niſi ſumpto experimento emendati judicentur, Sacerdotes a Sacramentorum participatione rejiciant. In horum cenſum eos omnino connumerent, qui tertio quoque verbo, *Dei*, vel Sanctorum nomina in vanum aſſumunt, tricis miſcent quibuſque, & futili, atque iracundo ſermone. Spectat nimirum ad vituperationem, tremenda hæc, & fiduciæ plena Nomina non reverenter pronunciare; multo vero magis vanitatibus immiſcere. Veniæ difficultate, qui miſere in hoc peccant, ſuæ ſint infelicitatis admoniti.

Bulla S. Pii V. adverſus Blaſphemos.

Præcipimus autem quotannis in Prima Dominica Adventus commemorari Populo graves ſpirituales pœnas Sanctiſſimi Pontificis Pii V. Conſtitutione in Blaſphemos inflictas, atque commoneri Indulgentiam decem Annorum conceſſam eſſe Fidelibus a Lateranenſi Concilio *toties quoties* Blaſphemum Proximum ſuum in Charitate corripientibus, quod pariter in Prædeceſſorum Noſtrorum Synodis ſtatutum eſt.

CAPUT III.

De Superſtitionibus, & Vanis Obſervationibus.

Neque minoris momenti æſtimandum eſt graviter prædamnatum olim in præcedentibus Synodis, atque præcluſum iniquitatis genus, ſed fervens adhuc, & in multorum pectora radices agens, nimirum Superſtitioſa, maleficiis adhibita credulitas, & opera præſtita, qua vel diabolicis machinamentis

tis habetur fides, vel, quod deterius multo eſt, damna diabolicis artibus ſive in homines, ſive in reliquas creaturas, vel tentari ſolent, vel etiam præcaveri, ex mendaci in vulgus hominum opinione poſſe Dæmonis ope utile quidpiam hominibus vel noxium parari, aut tolli verbis, & ſignis ſacris ad prophana, & ad turpia quoque adjectis, & commixtis ſive modis aliis, quos rerum ignoratio, malitiæ conjuncta, reperit, arteſque ſceleſtorum hominum vanæ hebetioribus perſuaſerunt.

Superſtitio Idololatriæ ſimilis.

Hæc non admodum ab Idololatria diſtant. A Theologis quippe Superſtitio, *Rei ſacræ in prophanos uſus converſio, ut quidpiam ope Dæmonis agatur*, definitur. Neque dubitamus fidelem Populum horrore concitum iri, modo cognoſcant ſe hujuſmodi ſuperſtitionibus debitum Deo, Sanctiſque Cultum in humani generis hoſtem transferre: impios vero homines vana ſpe elatos, ſe naturæ divitiis, vitæ hominum, & animantium dominaturos, puderet iniquitatis ſuæ, modo ipſis perſuaſum eſſet, nihil inde conſequi poſſe, præter Animæ perniciem, & mortem.

Quamobrem omni contentione Parochi ſtudeant fallaces has, & impias opiniones a Populo præcidere, ut firmiter credat, neque ſignis, neque imaginibus, neque verbis, neque mixtionibus, neque aliis quibuſque Dæmonis artibus immutari quidpiam poſſe in Natura, conſtantibus divinæ providentiæ Legibus ordinata, vel commodi quidpiam, aut incommodi in animantia, homines, agros, terra marique importari, ajente Domino: *Ego occidam, & ego vivere faciam: percutiam, & ego ſanabo.* Ipſe enim *educit ventos ab Theſauris ſuis, ipſe producit in montibus fœnum, & herbam ſervituti hominum.*

Verum quoniam graviſſimi ſceleris reos eſſe conſtat hæc inique animo tentantes, vel ipſis adhibentes fidem, non ceſſent animarum Curatores inflammato charitatis zelo horum vanitatem, & impietatem execrari per luctuoſa Sacrilegia provehentem Animas in exitium. Non enim Maleficiorum artibus, ſed quotidianis culpis iræ Divinæ flagella, vitam, ſubſtantias, fortunas hominum evertentia, concitantur: non ſortilegis remediis, ſed Divina ope, & interceſſione Sanctorum a calamitatibus eruimur. Quare in adverſis valetudinis, fortiſque caſibus efficaciſſimis a Sancta Matre Eccleſia probatis Benedictionibus fiduciam in Populo concilient, quas Euangelica Doctrina didicimus, modo præſto fides ſit, & vera animi expoſcatur utilitas, effectu non carituras. Quod noſtrum eſt, Superſtitionum cum Sacrorum, vel Sacramentalium abuſu grave facinus, Nobis omnino reſervamus abſolutione relaxandum; ſi qui vero a Nobis facul-

Benedictiones ab Eccleſia præſcriptæ in neceſſitatibus adhibendæ.

Quænam ſuperſtitio-

nes Epiſcopo reſerventur.

cultatem impetrabunt, hos hortamur tali implicatos crimine a Sacramentis diu arcere, ut reſipiſcant.

Ceterum non hic Sacerdotum curam ſiſti volumus, verum etiam atque etiam excitamus, ut in Catechiſmis, Inſtitutione Chriſtiana, & Pœnitentiæ miniſterio detrahant Populum a vanis obſervationibus, auſpiciis, auguriis, ſomniorum fide, & conſiderationibus Aſtrorum, temporum, locorum, atque ſimilibus nugis, quas ex Ethnicis ſuperſtites adhuc inter nos ignorantia ſervavit, & ex quibus frequenter trepidant timore, ubi non eſt timor, cum Divino monito non ſit a ſignis cœli metuendum, &, teſte Paulo, fruſtra laboretur ad eorum pietatem, qui dies obſervant, tempora, & annos. Oſtendit ſcilicet Dominus quid timendum ſit, nempe a culpa, & iniquitate: quid exhorrendum, ab ipſius gratiæ excluſione, qui timor initium amoris eſt, pœnitentiæ, remiſſionis. Hæc timere diſcant, cetera deſpicere, & Gentibus, quæ Deum ignorant, permittere. Quod tanto facilius conſequemur, quanto planioribus exemplis, & doctrinis, rudis Plebs frequentius inſtruetur. Nam nec ſuſpicari licet, Sacerdotem quemvis adeo, vel rerum ſacrarum ignarum, ut iis fidem præſtet, vel ſuæ Sanctitatis oblitum, ut operam, favorem, Sacrorum uſum, perſonam ulla ratione, vel modis impendat. Id nempe, ſi (quod abſit) contingeret, nullum eſſet ſeveriſſimæ coercitionis remedium non experiundum adverſus tantam labem Animarum.

Vanæ obſervationes.

Benedictiones, & Exorciſmi, non in Rituali Romano contenti, omnes prohibiti.

Quoniam vero de Benedictionibus dictum eſt, ſciant Sacerdotes omnes, quodcumque Benedictionis genus, non in Rituali, vel Miſſali Romano contentum, interdictum eſſe; quin etiam ſub pœna Suſpenſionis vetitum addi præſcriptis Ritibus quidpiam, vel intermiſcere, niſi fortaſſe Pſalmos, & Laudes ab Eccleſia probatas, & alias preces ad excitandam Circumſtantium devotionem. Quod idem de Exorciſmis decernimus in animatas, vel non animatas creaturas, qui vetantur omnes præter ibidem ordinatos. Si vero contingat, quod rariſſimum eſt, fidelium quempiam Dæmonis obſidione torqueri, vel obſeſſum reputari, nemo Nobis, vel Vicario Noſtro Generali inconſultis, & ſcripto, ubi opus fuerit, gratis licentiam conceſſuris, exorcizare audeat, Juriſdictione in hac parte omnibus omnino ſublata.

Benedictiones fiant ab iis, ad quos ſpectat, juxta Rituale Romanum

Benedictiones Epiſcopales a nemine, Parochiales a ſolis Parochis impertiantur; niſi ſit ab iiſdem inferiori Sacerdoti conceſſum. Quapropter Sacerdos ad benedicendum invitatus, num ſibi id liceat, inconſulto Parocho, cognoſcat ex Ritualis Romani Rubricis, ne in aliorum meſſem manum inferat, &

colli-

Digitized by Google

colligat, quæ non ſeminavit. Nulla ſit unquam pro Benedictionibus pactio, nullum ſtipendium. Gratis demus, quod gratis accepimus. Sponte oblatas Eleemoſynas, non aviditate extortas, ſed a pietate exhibitas, repudiare non tenentur. Secus, qui fecerint, ſciant Simoniaca ſe infamia pollui, neque, & ſi homines lateant, Deum animorum ſcrutatorem eſſe decepturos. & nullo mercedis intuitu.

CAPUT IV.

De Doctrina Chriſtiana.

Cum humana natura peccato corrupta ager veluti ſit ſpinarum unice, tribulorumque fecundus, juxta primum illud in rebellem hominem maledictum, non ſatis eſt ab ipſo prava eradicare germina, ſed adhuc oportet optimis referre ſeminibus, & continenti opere cuſtodire. Quod tunc potiſſimum utiliter ad fructus in æternam vitam præſtatur, cum naſcentis mundi incolæ periculi plenam peregrinationem adorti, & Chriſto regenerati in Sanctorum Myſteriorum arcana initiantur, & in recta morum inſtitutione ſtabiliuntur, ut juxta viam ſuam, etiam cum ſenuerint, ab illa non recedant. Nihil ergo gravius Parochis impoſitum hac Chriſtianorum Puerorum in Fidei, & morum doctrina, inſtitutione; nihil ab Epiſcopis accuratius promovendum, quam ne opus hoc negligatur, vel inutili ratione compleatur. Neceſſe nempe eſt Populum non ſolum memoriter ſcire, ſed pro captus modulo egregie callere, tum præcipua Myſteria explicite credenda, tum graviora Religionis officia, & cognoſcere quemadmodum mores ſuos poſſit in communi uſu vitæ ad ſobrietatem, juſtitiam, & pietatem componere.

Quamquam autem in generali Noſtra Viſitatione lætati fuerimus, non eſſe in noſtra Diœceſi ſummam hanc Miniſterii partem neglectam, inhærentes tamen Prædeceſſorum Noſtrorum zelo, confirmamus quidquid præceptum ab ipſis eſt in præcedentibus Synodis, præſertim vero in poſtrema cap. 2. qua jubentur Parochi omnes, quolibet Feſtivo die Euangelium inter Miſſarum Solemnia exponere, non in ſublimitate, ſed in ſimplicitate ſermonis, cum Parvulis debeant lac, potum dare, non eſcam. Propterea ſermones ejuſmodi plano, facilique ſtylo, Lingua vernacula Italica, vel Illyrica habeantur juxta Eccleſiarum uſum, & Populi captum; & in his potiſſimum de Chriſtianis officiis in Deum, Proximum, & ſeipſum agatur, & opportuna methodo, rationibus, & exemplis communiora vitia car- Parochi quolibet Feſto die Euangelium exponant.

carpantur, domeſticæ, ſocialeſque virtutes promoveantur, ſecluſa falſa devotione, & Superſtitione, atque expoſito cordis obſequio, quo vere adoratur Deus in Spiritu, & veritate.

In Feſtis diebus publice Doctrina Chriſtiana pueris tradatur.

Circa inſtitutionem vero Chriſtianam pueris tradendam multum intereſt in ipſis Chriſti fundamenta ſtabilire, ſuper quæ nunquam poſſit ædificari peccatum. Non humani præmii, aut laudis ſolicitudo, ſed Chriſti urgens charitas ad panem parvulis frangendum incitet, ne, ſi alia ſpe ducamur, audiamus ab Æterno Judice recepiſſe nos mercedem noſtram. Quare volumus, ut Animarum Curatores Feſto quovis die, hora opportuniore, ſtudeant Adoleſcentulos, & Puellas publice in Eccleſia ſacram Catecheſim ediſcere, repetita primum Oratione Dominica, Salutatione Angelica, Actibus Theologalium Virtutum, præcipuis Myſteriis ceteriſque *in Symbolo* contentis: ad quod *opem omnino* eis præſtare tenentur Sacerdotes omnes, ex ſui Hierarchici Ordinis inſtituto, & omnium Ordinum Clerici mercedem a Domino habituri, quod Nos quoque ſummi meriti loco habebimus, ut ad majora promoveantur.

Hortantur Laici ad Doctrinam Chriſtianam cum Sacerdotibus tradendam.

Oramus enixe Fideles etiam Adultos Diœceſis Noſtræ, ut Eccleſiam Inſtitutionis tempore frequentent; revocantes *illis* in *memoriam, cum Angelis & Pueris Hoſanna* Domino cantari, & niſi efficiamur ſicut Parvuli, non eſſe nos in Regnum Cœlorum intraturos, quoniam abſcondita ſunt Domini myſteria Sapientibus, & Prudentibus, & Parvulis revelata. Quod non in confuſionem, ſed in honorem, & decoris amplitudinem cedet, cum Sacerdotibus adjumento eſſe poſſint ad Doctrinam. *Meſſis* ſiquidem multa eſt, Operarii autem pauci; quare illuſtrioris præſertim fortunæ homines, & Mulieres ad hanc Inſtitutionem ſupra humanas omnes diſciplinas præſtantiſſimam accedere, exemploque promovere curantes, ſciant ſe retributionem copioſam a Domino recepturos. Excitentur porro a Parochis illuſtri exemplo propoſito nobiliſſimarum Civitatum, præſertim autem feliciſſimæ Dominantis Noſtræ, quo Patritiorum Civium Proceres, Summæque Matronæ honorem Doctrinæ *Chriſtianæ* regundæ ambiunt, & æmulantur, excitati, tum operis ſanctitate, cum Indulgentiarum Theſauris. Curent etiam ſuavibus artibus concedi a Dominis, ut Servis quibuſcumque fas ſit & liberum ad Catechiſmum accedere, cum Sanctificandi ſint ab his quoque Feſti Dies, & ratio reddenda ſit a Dominis ipſis Deo, non modo circa Filiorum, ſed etiam circa Famulorum mores, & pietatem.

Cum vero vix eadem docendi methodus poſſit ubique convenire, illud Nos exactius Parochorum adhibito conſilio, proponc-

ponemus per Paſtorales Literas. Interea volumus Doctrinam ab Eccleſia Romana probatam Bellarmini Cardinalis doceri, niſi conſuetudo alium quempiam alicubi Libellum invexerit Typis editum, & a Noſtris Prædeceſſoribus conceſſum. Interdicimus omnino Manuſcriptas Catecheſes in Eccleſia doceri, in quibus facile eſt errores ſubrepere, donec Deo concedente Nobis liceat proponere Italicum ſimul & Illyricum Inſtitutionis Chriſtianæ Libellum Diœceſi Noſtræ opportunum.

In omni autem patientia expleto interrogationum exercitio, vernacula Veneta, atque Illyrica Lingua exponantur Myſteria præcipua explicite credenda, in Symbolo Apoſtolorum contenta, juxta Catechiſmi Romani explicationem, Petitiones Orationis Dominicæ, Sacramentorum virtus, pura cordis devotio, & præ ceteris quid in Dei, Eccleſiæque Præceptis ſive præcipiatur agendum, ſive cavendum moneatur. Non omnes ſane Doctores eſſe debent, ſed omnibus jus eſt ad ſalutem per Divinæ Legis obſervantiam obtinendam, quæ niſi intelligatur probe, ſalutem ipſam non operatur. Eget nimirum Populus Noſter a morbis potiſſimum intellectus præſervari, ut plerique a mortifero ſomno vitiorum expergiſcantur, in quo tuto dormiunt, male ſibi perſuadentes, ſatis ſe propriæ ſaluti per externa quædam devota opera conſuluiſſe, neglecta injuſtitiæ, fraudis, mendacii, concupiſcentiæ curatione. Quæ docenda.

Væ Sacerdotibus, inertia, aut commoditatis ſtudio, hybernum frigus, aut æſtivas vigilias refugientibus, quin miſeris, vel Gregum Paſtoribus, vel Idiotis Ruſticis panem vitæ frangant: hi nempe paſcunt ſemetipſos, & non Gregem. Nonne horum exemplum, qui fami, pluviis, omni generi incommoditatis obſiſtunt, ut cuſtodiant armenta ſua, terribilis objurgatio erit, atque damnatio in die furoris Domini adverſus Sacerdotes, ex vili languore negligentes alere Gregem, Chriſti Sanguine Redemptum? Quapropter horum commoditati volumus, Sacerdotes, Feſtis diebus in Campeſtribus Oratoriis celebrantes, hoc exercitium inter Miſſam inſtituere, ut juxta circumſtantias opus fuerit. Qui prætermiſerint vero, ad Nos pro opportuna caſtigatione deferantur. Quibus horis populi opportunitati ſatisfaciendum.

Meminerint Confeſſarii, neminem Myſteriorum, & Obligationum præcipuarum Chriſtiani hominis ignarum recipi ad Sacramentalem Abſolutionem poſſe: & ſi id prudenter ſuſpicentur, interrogari Pœnitentes debere, & inſtrui; vel niſi id fieri poſſit, donec inſtruantur, a Communione arceri; nam ſecus ſi faciant, cæci erunt cæcos ducentes, & ambo propterea, Domini ſententia, in foveam ruituri. Doctrinæ Chriſtianæ ignari ad Sacramenta non admittendi.

Nemo juxta Concilii Tridentini Decretum admittatur ad Matrimonium, niſi Parocho conſtet, vel examine propoſito, vel certa ſcientia, inſtructum eſſe in notitiis Chriſtiano homini neceſſariis, & proprii ſtatus officiis, qua ſuper re Parochorum Conſcientias aggravamus.

Numquam Doctrinæ inſtitutio prætermittatur, niſi forte aliud ſuadeat neceſſitas. Parocho legitime impedito, vel juſta abſentia, vel corporis ægritudine, ſuppleat Cappellanus, Sacerdos, Clericus, vel Idoneus quivis, illis deficientibus, exoratus. Statutis horis Campana pulſetur, & etiamſi nemo accederet, Sacerdos in Eccleſia permaneat tempore ad hoc conſtituto, ut pudeat Chriſtianos deeſſe. Nos vero debitum noſtrum implentes, non verbo ſolum, ſed facto negligentium defectum improbabimus.

C A P U T V.

De Verbi Dei Prædicatione.

AD annunciandas voluntates ſuas miſit *Dominus omni ætate Prophetas ſingulariter delectos*, ut Populis Divina ipſorum miſſio pateret; quod maxime in Euangelici Verbi Prædicatione ſervatum eſt, ut non per ænigmata, & typos, ſed palam Divina Myſteria in omnem terram effunderentur, & Chriſti Fides omnibus adeſſet in ſalutem. Fides autem eſt ex auditu, auditus vero per verbum Chriſti. Sed quia auditus non eſt ſine prædicante, docente Paulo, neque Prædicatio ſine miſſione; hinc Chriſtus Apoſtolos primum, ſubinde vero Epiſcopos ipſorum Succeſſores miſit, quibus in ſacra manuum impoſitione committitur, ut eant, & Populo ſibi commiſſo prædicent, id ſpondens, Spiritum Sanctum per os eorum eſſe locuturum. Ceterum quoniam Parochis credita eſt cooperatio Miniſterii Sanctorum, & adjutores habemus omnes in ſortem Domini vocatos; hinc grave Nobis imponitur debitum, ut alios mittamus, quemadmodum a Chriſto miſſi ſumus, virtute nempe, & ſanctitate delecta.

Itaque præcipimus omnibus Eccleſiarum Rectoribus, ut per ſe quantum poſſunt; vel ſi minus, per ſuos Coadjutores panem Verbi Dei, quolibet Feſto die Populo miniſtrent. Ceteris omnibus abſque Noſtra, vel Vicarii Generalis licentia ſcripto concedenda, Prædicare omnino interdicimus; quemadmodum in Sacroſancto Concilio Tridentino ſtatutum eſt.

Prædicare nemo poſſit ſine licentia.

Studeant autem Prædicatores non paſcere ſemetipſos in vanitate

tate

Digitized by Google

tate ſermonum, multo vero minus otioſa, puerilia, jocularia, Concionibus inſerant, quibus Miniſterii ſanctitas dejicitur, ſed arguant, obſecrent, increpent in omni patientia, & doctrina. Caveant a doctrinis novis, & peregrinis, neque argumenta in Scholis diſputata proponant, neque vitia leniendo peccatis blandiantur, ne fiant Magiſtri prurientes auribus, & a veritate auditum avertentes, ad fabulas autem converſi. Sedulo vigilent Rectores Eccleſiarum, ut apte, & digne Dei Verbum proponatur, Noſque de tranſgreſſionibus admoneant, ut efficacibus remediis occurramus. Devitent etiam, dum vitia increpant, & peccatores objurgant, ne nimium ſingillatim argumentum proſequantur, ut exinde nulla poſſit ſuboriri ſuſpicio de quopiam peculiariter eſſe ſermonem: ne quoque, dum vitiis occurrunt, ignoratam malitiam doceant ſimpliciores. Turpitudo omnis, & immunditia nec nominetur in nobis, ſicut decet Sanctos.

Prædicationum materies & modus indicatur.

Sua ſint eleemoſyna & oblatione contenti, non officiis congregata, ſed ſponte a Fidelibus collata; nihil enim magis dedecet, aut Divini Verbi aculeum obtundit, quam turpis lucri ſuſpicio, & ſi mercedis gratia quis prædicet, Simoniacam labem non evadit. Nemo vel Indulgentias publicet, vel Benedictiones, quas Papales vocant, Populo tradat, niſi propoſitis prius Nobis, vel Vicario Noſtro Generali privilegiis, & a nobis probatis, ſub pœna Suſpenſionis a Prædicationis exercitio ipſo facto incurrendæ. Ceterum meminerint Verbi Dei Præcones, qui alium de peccatis arguit, in omnibus ſanctum, & irreprehenſibilem haberi oportere, ut exemplo intemeratæ vitæ ſe formam ceteris præbeat, atque blaſphemiæ Verbi Dei cauſam ſubmoveat, inde ſane proficiſcentis, cum verbis zeli plenis opera non reſpondent. Divinæ gloriæ ſtudium in omnibus prudentia regatur, ut decet eum, qui opus facit Euangeliſtæ, & bonum certamen certat, ut aſſequatur paratam ſibi coronam juſtitiæ.

Indulgentiæ, Epiſcopo inconſulto, non publicentur.

C A P U T VI.

De Eccleſiis, Sanctorum Reliquiis, Imaginibus, Indulgentiis, & Oratoriis.

CUm Hieroſolymorum templum, Symbolum unice, & Typus Templi Chriſtianorum, tanta fuerit Majeſtate conſtructum, ut Salomon Sapientiſſimus Regum gloriam Domini ibi deſcendentem intuitus exclamaverit: Ergo ne credibile eſt, ut habitet Deus cum hominibus ſuper terram? quanto majore obſequio

ſequio veneranda Templa ſunt, in quibus reipſa commorari Deum ſub Euchariſtiæ Sacramento docemur, quem adorant Angeli, & Cœleſtes Cives, tamquam in Omnipotentiæ Throno, ſuſpiciunt! Decet utique Domum Domini ſanctitudo, decet diligere decorem domus ejus, & locum habitationis Gloriæ ejus. Quod ut aſſequamur, & dignitati eorum locorum conſulamus, ex quibus omne ſperatur a Domino beneficium, ab exteriori, & materiali Eccleſia exordium ducentes, prohibemus Erectionem cujuſcumque Eccleſiæ, Oratorii, Cappellæ, ſive Altaris ſine ſpeciali Noſtra Licentia, & modulorum exhibitione, ut juxta Eccleſiaſticam formam erigantur, & quin præſto ſit ſufficiens perpetua Dos, ſive patrimonium, ut conſerventur, reſtaurentur, convenientique ſacra ſupellectili provideantur. Lachrymas ſane non tenemus, tot Eccleſias in Diœceſi inſpicientes, olim procul dubio dotatas, nunc patrimonii defectu, fortaſſe dilapſi per vias in diem ultionis revelandas in interitum, jacere ſuſpenſas, & in prophanos, vileſque uſus converſas. Eccleſiæ, Altaria, his neglectis Legibus ſi erigantur, interdicto ſubjaceant.

Nova Eccleſiaſtica ædificia, inconſulto Epiſcopo, vetita.

Quanto vero renuimus multiplicari Templa *Canonica dote deſtituta*, *tanto efficacius cupimus Parochiales* Eccleſias non ſolum in ædificio, ſed etiam in ſacra ſupellectili neceſſaria decenter ſervari. Non abnuunt utique Fideles ea loca ſpecialibus Eleemoſynis proſequi, in quibus Chriſto regenerati ſunt, Deo reconciliantur, pane vitæ nutriuntur, & quo ſperant ſe humanæ ſarcinæ pondus depoſituros, quemadmodum nobiliſſimis, & magnificis exemplis in hac ipſa Diœceſi conſpicitur, in qua Templa Domino erecta ſunt ſupra virium æſtimationem ſplendida, Sacerdotum zelo, & ſancta Plebis æmulatione. Quod ad imitandum proponimus in Parœciis diuturnitate labentibus, & in quibus non ſatis conſultum eſt ſacræ neceſſitati. Enimvero quidvis a Populo, Sacerdotum lenitate, & ſanctitate invitato, obtineri poterit, Deo opem ferente, quem, cum cœli cœlorum capere non poſſint, in manufactis Templis habitare dignatur; atque experientia compertum erit, nihil eſſe impoſſibile, ſpem in Domino pro tam pio opere locantibus.

Templa Dei decorem præferre convenit.

Interea curent Eccleſiarum Rectores ſedulo inſtare, ut ab his, ad quos ſpectat, diligenter cuſtodiantur, abſtergantur a ſordibus, & ſi minus pretioſa, ſaltem decenti ſint copia inſtructi apparatuum, linteaminum, Miſſalium, candelabrorum, lampadum; quæ ſi deficiant, poſt debita Operariis Eccleſiarum officia præſtita, Nos admoneant, ut vel opportuno interdicto, vel aliis viis decori Divinæ domus conſulamus. Sacerdotes omni-

Digitized by Google

Quo quodpiam deſit, vel indecens ſit, non celebretur.

no non celebrent in Oratoriis, in quibus deſideretur quidpiam per Miſſalis Rubricas ad Sacrificium requiſitum. Si quæ ibi Sacrificia certis diebus perſolvenda ſunt, iis in Parochiali Eccleſia fiat ſatis. Nullæ permittantur Sculpturæ, aut Imagines ex imperita Artificis manu deformes, ex quibus frequenter ſcandali potius, & contemptus cauſa, quam devotio, excitatur. Oratoria omnia, ſi quando in ipſis artium utenſilia, trabes, ligna, dolia, vel alia ejuſmodi prophana cuſtodiantur, interdicta ſint, donec ſubtracta fuerint; qui vero abuſus prædictos invexerint, ſciant ſe a Templo Gloriæ Domini fore excludendos. Multa in prima Noſtra Viſitatione tolerata a Nobis ſunt ſpe promiſſæ reparationis: nunc vero majore experientia edocti, nullam admittemus excuſationem, ut poſſimus Eccleſiam Dei ſervare tamquam ſponſam ornatam Viro ſuo.

Plura circa Altaria, & Eccleſias ſtatuta.

Quodcunque Altare, cui portatilis Ara parva inſerta eſt, cavitatem habeat, in qua ſacratus lapis occludatur: illud vero tribus tegatur tobaleis, non duabus, nempe altera ad duarum inſtar complicata. Novæ Campanæ ſuper ſacras turres evehi minime queant, a Nobis, vel facultate Noſtra non benedictæ. Ne exponantur capſulæ cujuſcumque generis, ad novas Eleemoſynas percipiendas, niſi facta a Nobis poteſtate. Neque liceat abſque Parochorum licentia, Eleemoſynarias pixides, vel crumenas per Eccleſiam inducere, exceptis iis, quæ de more mittuntur, neque ibi ſtipem rogare Mendici permittantur; cum experimento ſit cognitum, quantum uſus iſte importunus perturbationis afferat orantibus; neque deſunt Conſtitutiones Apoſtolicæ idipſum vetantes: quæ Decreta ſumma Pietate Sereniſſimi Principis Noſtri pro Eccleſiis Dominantis inſtaurata ſunt. Multo vero minus prope Eccleſiam tolerentur clamores, ſtrepitus, ludi, confabulationes, & nugaces, importunique cœtus obloquentium; ne Dei vivi Templa vanitatibus contemnantur. Sacra quæ fuerunt, in prophanos uſus ne convertantur, niſi impetrata a Nobis facultate, ſacrum omnino ritum in ea re ſervaturis. Iram Domini vereantur, qui res Deo ſemel devotas, Eccleſia inconſulta, uſu ſeculari polluerint. In ſacris adytis, vulgo *Sacriſtiis*, Laici ne moras trahant, Miſſarum, vel Divinorum Officiorum tempus expectaturi, ſed a Sacriſtis, vel Parochis, Noſtro etiam nomine, cogantur abſcedere. Etenim per vaniloquia, & nugas Sacerdotibus atque Fidelibus in Templo orantibus moleſtiam quam maximam afferri compertum eſt. Cuncta, quæ in *Sacriſtiis*, dici, vel fieri neceſſe eſt, ſubmiſſa voce, modeſte, ac reverenter expediantur, ut honeſte, & ſecundum ordinem in Aula Domini procedatur.

Laici a *Sacriſtiis* removeantur, nec ibi confabulationes permittantur.

Cir-

Sanctarum Reliquiarum cultus.

Circa Sanctorum Reliquias , pretioſa pignora nobis a Deo concredita ad fiduciam Chriſtianam , & excitamentum , ut eo ſenſibili aſpectu Sanctorum gloriam admirati imitemur virtutem ; Nemini Catholicorum dubium eſt ſumma ipſas veneratione coli oportere . Quapropter in Eccleſia reverenter cuſtodiantur decenti loco , & cuſtodia ſervatæ in phialis , vel capſulis Epiſcopali ſigillo munitis , nulla ex parte læſis , neque exponantur , fractis fortuito vel thecis, vel chryſtallis , niſi a Nobis rurſus recognitæ obſignentur . Novæ non exponantur Reliquiæ, niſi obtenta a Nobis facultate.

Circa Reliquias domi ſervatas.

Hortamur Laicos , penes quos Epiſcoporum largitione Reliquiæ nonnullæ ſervantur , ut eas devote cuſtodiant in domorum decentioribus locis , & ſpeciali cultu proſequantur : caveant autem *Literas Authenticas earum amitti* , *ne quando dubium ſit de ipſarum veritate* . Quamquam vero melius eſſet illas in Eccleſiis deponere , in quibus Corpora Sanctorum in pace ſepulta ſunt , cum reliquo Fidelium cœtu venerandas ; tamen nolumus ipſis privatæ devotionis excitamenta ſuſtollere ; ſed pariter non omittimus ipſos circa debitum cultum commonere .

Imagines & ſculpturæ quomodo venerandæ.

Omnis Imago, aut Sculptura Sanctorum collocetur in Eccleſiis , vel Altaribus , juxta Rituale Romanum prius benedicta . Doceatur frequenter Populus , quo ſenſu , & affectu Chriſti , Beatæ Virginis , & Sanctorum Imagines venerentur , ut Fidelium fiducia , non in operibus manufactis , ſed in Cœli Civibus ſit poſita , & arceatur Populus rudior a materialis Idololatriæ periculo . Inſtruatur pariter circa externi cultus modos , & genera , ne ea , quæ uni Deo ſervata ſunt , in Virginem , vel Sanctos promiſcue adhibeantur ; cum nimis ſæpe contingat ***Latriam*** exhiberi , quo ***Dulia*** , vel ***Hyperdulia*** conveniret , & viciſſim : quod ſicut in Populo ignorantiam arguit , ita locum ſuſpicioni præbet , negligi a docentibus inſtitutionem .

Doceatur populus de Indulgentiis.

Præſtat autem , ut hoc loco de Indulgentiarum theſauris , quorum eſt ſacrum in Eccleſia Depoſitum , agamus . Sunt enim Indulgentiæ applicationes ſuperabundantium Meritorum Chriſti in ſatisfactionem temporalis pœnæ ob reatum peccati mortalis deleti per pœnitentiam , vel ad venialium culparum ſublationem , non ſolum pro vivis , ſed etiam pro Defunctis in Purgatorio igne pœnas luentibus : Graviter intereſt doceri Populum circa ejuſmodi piam Eccleſiæ munificentiam , ut nec facilitatem pretioſi lucri contemnat , nec majorem in ipſis , quam par eſt , ponat fiduciam . Quare ſciat , & actualis Gratiæ ſtatus neceſſitatem , & veram peccati deteſtationem , & injuncti operis

Digitized by Google

ris executionem omnino ad ipſarum lucrum requiri. Cognoſcat inſuper ex diſpoſitionum defectu, vix per paucos Indulgentias lucrari; itaque moneatur, ſæpe ad ipſas accedere, ut ipſarum aliquas dignus quandoque ſit conſequi. Nemini liceat novas Indulgentias prius a Nobis non recognitas promulgare. Nemo Indulgentiarum cauſa novum Eleemoſynæ quæſtum introducat, ut pateat Populo omnis turpi lucri eliminatio, & gratis demus, quod gratis accepimus.

Oratoria Privata, & Domeſtica, niſi legitima impetrata facultate, erigi omnino interdicimus. In ipſis erectis Sacrificium celebrari non licebit, donec a Nobis, vel Vicario Generali, tamquam idonea, & decenti inſtructa ſupellectili, probata fuerint. Miſſæ audiendæ Feſtis diebus præcepto, in iis Fideles unice ſatisfaciunt commorantes in domo eadem, niſi aliter in conceſſionis Literis explicetur, & ii qui in Miſſa Celebranti miniſtrant. Diebus ob ſolemnitatem exceptis non offerantur in illis Divina Myſteria, nempe Duplicibus primæ Claſſis. In loco Oratorii ſub interdicti pœna lectulos, vel menſas ſternere, vel alia prophana, & domeſtica exequi non liceat, niſi materiæ levitas excuſet. Hortamur autem in Domino eos, qui ejuſmodi privilegiis gaudent, ut, cum commode poſſunt, publice in Eccleſia cum ceteris Fidelibus ſacris Myſteriis adſint. Non ad torpiditatis alimentum, ſed ad veram neceſſitatem hæc conceduntur. Præſtat autem ad percipiendum Sanctorum Communionis fructum, omnes ſimul in Eccleſia Chriſtianos unum Corpus efficere, quia omnes de uno pane, & uno Calice participamus. Ex quibus omnibus Sanctionibus Noſtris intelligat Sacerdotum ore Fidelis Populus, quanta devotione ac pietate ſit Deus in Templis ſuis, corde, ore, & opere colendus, ne locum placationis, atque clementiæ mutent in locum offenſionis, & ſcandali. Flagellis nempe Servator ab Hieroſolymitano Templo Nundinatores ejecit, flagellis procul dubio gravioribus caſtigaturus impietatem, levitatem, negligentiam filiorum ſuorum Dei Eccleſiam contemnentium.

De Privatis Oratoriis.

CAPUT VII.

De Feſtis, & Vigiliis.

Animarum Paſtores in partem Miniſterii Noſtri adſcriptos in Domino obteſtamur, ut ſæpe & graviter Dominicæ Diei, & Feſtorum Obſervantiam prædicent, & præcipuorum maxime, in quibus Auguſtiora in hominum genus Beneficia Divina

Modus ſanctificandi Feſtos dies.

Digitized by Google

na recoluntur. Sanctificari ea quidem neceſſe eſt, non ſolum per præceptam ab operibus ſervilibus abſtinentiam, ſed pietatis actibus iteratis. Non in comeſſationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non miſero, turpique otio, ſed operoſa virtutum exercitatione, atque honeſta requie reficiundus eſt animus, & corpus quoque recreandum, ut alacriore vi hebdomadarii labores ſuſcipi poſſint ab iis, quibus præcepit Deus, ut in ſudore vultus pane noſtro veſcamur. Qui unica contenti Miſſæ auditione, diei reliquum nugis, jocis, vel culpis abſumunt, in Eccleſiæ præceptum non peccant, ſed rei fiunt in Decalogi legem, Naturali, Divinoque Jure debitam labore requiem, atque ſanctificationem animi præcipientem. Quare ſacris ſolemnitatibus, Chriſtianæ Doctrinæ, Solemnibus Miſſis, Veſperis, Concionibus (niſi impediantur) debent intereſſe. Multo autem minus paupertatis, neceſſitatis, urgentis operis obtrudant cauſas, ut mundanis negotiis tempus Deo reſervatum impendant. Hæ enim nunquam legitimæ cenſeri poſſunt, niſi Epiſcopali Judicio, vel Parochorum impetrata facultate, probentur. Namque in veris neceſſitatibus publicis Epiſcopi miniſterio, in privatis autem proprii Paſtoris conceſſione *indulget libenter Eccleſia*: ceteras a cupiditate, avaritia, vitioſaque habitudine deductas judicat, & excludit.

Ne vero tempus agendi deſit, feſtiva requies, diebus ab Eccleſia minime præſcriptis, non multiplicetur. Quapropter populares celebritates in nonnullorum Sanctorum obſequium ſanctificentur, non otio, ſed honeſta, & Deo oblata proprii operis exercitatione, cum Chriſtianum hominem deceat omnia in nomine Domini facere. At, cum experientia notum ſit, Feſta ejuſmodi *ex Devotione* nuncupata minime ſalubriter per pietatis actus, ut olim fortaſſe cum inſtituta ſunt, ſed per ludos, choreas, ebrietates plerumque celebrari ſolere, hinc Parochi diligenter Populum doceant, quanto utilius ſit Sanctorum patrocinia ex honeſto labore mereri, & impetrare. Itaque confirmamus quod Noſtris Paſtoralibus Literis diei 20. Maji ſuperioris Anni decrevimus, Eccleſiaſticos ſolemniores Ritus ad Beatiſſimæ Virginis, vel Sanctorum ſpecialium Cultum adhiberi ſolitos in diverſis Eccleſiis, juxta Plebis devotionem, ut Proceſſiones, ſtationes, Veſperarum ſolemnitates non prætermitti, ſed ad proximiorem Feſtum diem transferri, & impleri: ex quo illud conſequi ſperamus poſſe, ut negotioſi dies ad domeſtica miniſteria impendantur, Feſtivorum vero ſpatium, piis hiſce exercitiis impletum, copioſius ſanctificetur.

Feſta *Devotionis* dicta omnino ſublata.

Pietatis opera iis diebus fieri ſolita, in viciniorem Feſtum diem translata.

Compatientes autem Populi Noſtri neceſſitatibus, iiſque quan-

quantum in Domino poſſumus, conſulere cupientes, decernimus nullum impoſterum fore de Præcepto Feſtum diem, præter eos, qui in Romano Kalendario notati ab Univerſali Eccleſia coluntur, & Feſtum S. Pelagii Diœceſis Noſtræ Patroni Præcipui in Diœceſi Univerſa; ſublato abſtinendi ab opere ſervili in Feſtis SS. Hermagoræ & Fortunati, & S. Maximi, & Dedicationis Eccleſiæ Noſtræ, & Miſſæ ſublato pariter audiendæ Præcepto, quam tamen non negligi optamus ab iis, qui id commode poſſunt: derogantes in hac parte Decretis Prædeceſſorum, præſertim Synodi Gabrielli P. 1. cap. 7. & mutatæ rationi temporum pro Fidelium utilitate hac derogatione ſervientes. Qui cenſendi ſint Feſti dies.

In Miſſarum ſolemniis Feſta a Parochis Populo diſerte annuncientur, ut pariter Vigiliarum, & debitorum Jejuniorum dies: ipſorum charitatem hortati, ut opportunis admonitionibus frequenter ſanctificationis modos Populo commemorent. Feſta & jejunia populo denuncientur.

Jejunium porro Pœnitentiæ genus, Apoſtolica traditione ſanctificatum, ceteriſque omnibus validius ad refrænandos ſalutari temperantia concupiſcentiæ impetus, & Deum nobis propitiandum, ab Eccleſia, Chriſti magiſterio edocta, certis temporibus, diebus, modis, & abſtinentiæ generibus ſervari præceptum, omnino ſuis Legibus eſt cuſtodiendum. Sciant itaque baptizati omnes jejunii eſſentiam in unica comeſtione poſt meridiem inſtitui, tolerata ob humanæ Naturæ infirmitatem levi cœnula, ſive ſerotina refectione. Inſuper eſſe a carnibus, & lacticiniis, jejuniorum tempore abſtinendum. Neque a jejunio, & abſtinentia eximi adultos homines, niſi vel evidentis infirmitatis cauſa, vel ejuſdem gravi periculo a Medicis æſtimando, & Eccleſiæ judicio ſubjiciendo. Pueri autem uſque ad 21. Annum, & qui jure ſunt a jejunii Lege ſoluti, ad abſtinentiam tamen obligantur, niſi aliud judicium Medicorum ſuadeat, non captatum mercede, vel obſequiis, & in animæ ipſorum interitum ducens, ſed veritati providens, atque utilitati. Laborioſæ artis neceſſitas, paupertas, debilitas, infantium nutritio, aliæque juſtæ cauſæ Eccleſiæ indulgentiam nanciſcuntur, ita tamen, ut nemo ſuæ prudentiæ innixus jejunia præſertim Quadrageſimalia, & abſtinentiam infringat, ſed ab Eccleſia ipſa, proprii Confeſſarii conſilio adhibito, facultatem impetret relaxationis. Ceterum Parochorum prudentia curet, ut neque nimia ſeveritate exigatur, neque nimia facilitate relaxetur tributum hoc pœnitentiæ Domino præſtandum: Cum Arca Dei, nempe juſti animus, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram flectere debeat, ſed media incedere via; maximeque interſit ſectando juſtitiam a culpa jejunare eos, qui ſe affligendo carnem ab alimentis abſti- Jejunii Doctrina.

 nent,

Digitized by Google

nent, & ab iis acceptabile jejunium offerri Deo, qui ſolvunt colligationes impietatis, & frangunt eſurienti panem ſuum. Hoc ſcilicet jejunium eſt, quod elegit Dominus. Noverint Fideles, media Bacchanalium nocte poſtrema, omnino a carnalibus eſcis, ſub gravis culpæ reatu abſtinendum; incipit quippe Quadrageſimæ ſanctiſſimæ initium. Quare laudamus, & decernimus uſum per protractum æris Campani ſonitum Fideles ejus horæ commoneri. Choreas autem, comœdias, aliaque Bacchanalis lætitiæ prophana ſigna decet omnino, eo tempore, ceſſare; cum ſint Quadrageſimalis pœnitentiæ infractiones. Præter Quadrageſimam, Quatuor Anni Tempora, & communes ab Eccleſia Univerſali injunctas Vigilias, præcipimus in Vigilia S. Pelagii jejunium omnino ſervari. Si qua vero publica calamitas exiget Deum ſpeciali pœnitentia propitiari, horum indictionem publicam privative Epiſcopo reſervatam eſſe monemus. Hæc doceant Parochi, ut ſi quos, vel jejunium, vel abſtinentiam ſine legitima cauſa, præſcriptis diebus, cum ſcandalo non obſervantes habuerint, Nos advertant, charitatis remediis animarum jacturæ proviſuros.

Jejunii præcepti dies.

CAPUT VIII.

De Horis Canonicis.

INæſtimabili ſane noſtri Spiritus conſolatione proſpicientes, Canonicorum potiſſimum Eccleſiæ Noſtræ Cathedralis, & Sacerdotum pietatem ſponte ſua jam in ipſa quotidiana Horarum Canonicarum communi recitatione Divinum implere ſervitium; & quod a Prædeceſſoribus Noſtris ſummopere expetitum, nuper vero poſtremi Paſtoris zelo agi cœptum eſt, nunc omnium continentibus curis in ſalutarem uſum eſſe deductum: Omnino enim ſperandum eſt a Sanctuario Domini, Sacerdotum quotidianis precibus ſanctificato, omnia in Eccleſiam Noſtram, atque Diœceſim divina Beneficia eſſe derivatura, cujus Miſericordiæ pignora, jam in aucta fortunis, decore, habitatoribus, Urbe ſentimus: Quare Domino benedicentes publico hoc teſtimonio ipſorum pietatem collaudamus.

Verum, quoniam incœptis ſemper quæpiam adjicere præſtat, ut perficiantur, Sacerdotum etiam Beneficiis non gaudentium pietatem hortamur, ut choro quoque quotidiano, cum poſſunt, intereſſe non graventur, quod ſumma ædificatione præſtari ab ipſis cernimus Feſtis diebus: hac ſpe ſe a Domino retributore mercedem multam accepturos, quam ab inope fortunis Eccle-

Sacerdotes tenentur Feſtis diebus ad Chorum

Eccleſia ſperare vix poſſunt. Ceterum Feſtis diebus Eccleſiæ ſervitio, in qualibet etiam Parochia Sacerdotes præſentes intereſſe jubentur, non Beneficii onere, ſed ex proprii ſtatus obligatione, ut Feſtæ diei ſanctificandæ, Deique oratione propitiandi exemplo, quoque populi norma fiant. ex proprii ſtatus obligatione.

Tam in Cathedrali, quam in Collegiata Bullearum, majore, Deo benedicente, aucto Sacerdotum numero, Officii Quotidiani, Miſſæque Conventualis perſolvendæ tempus, non Hebdomadarii arbitrio anceps ſit, & incertum, ſed pro Anni temporibus, communi Canonicorum conſilio, tam matutinæ, quam ſerotinæ horæ ſtatuantur, quæ ſcriptæ pendeant in Tabella in *Sacriſtia* ad Sacerdotum intereſſe cupientium commoditatem; ut in omnibus inſignioribus tum Cathedralibus, tum Collegiatis Eccleſiis fieri conſuevit. Feſtis autem diebus æquum eſt, & ad populi devotionem accommodatius, ſolemniore ritu, & dignitate, & Cantu Divina Myſteria celebrari. Quare, cum concedente Domino, in Cantus Eccleſiaſtici modulis a Nobis inſtitui Clerici poſſint, noverint ſe minime ad altiorem gradum evehendos, niſi cum reliquis requiſitis, etiam pſallendi peritiam juxta Tridentini Decreta non ſint adepti, ut paulatim in Diœceſim univerſam diffundatur Eccleſiaſticæ Pſalmodiæ modus, ſublatis arbitrariis cantibus, non ad devotionem, ſed ad deformitatem plerumque compoſitis. Clerici in Urbem a Nobis adſciti, Scholarum cauſa, neque a cantus diſciplina, neque a Quotidiani Chori ſequela ſe ſubtrahant. Neglectus culpæ loco habebitur, ne promoveantur, cum æquum ſit in ſortem Domini vocatos opere oſtendere Vocationis ſanctæ menſuram. Atque non deſperamus fieri ope Domini poſſe, ut quandoque ipſorum aſſiduitas præter æternam temporali quoque mercede coronetur. Modus Chori diſtribuendi. Cantum Eccleſiaſticum Clerici diſcant.

In Collegiata pariter S. Servilii Bullearum, cum nuper erecti Domino Templi magnificentia ſatis oſtendat felicem Sacerdotum, & Populi pro Divino Cultu æmulationem; hortamur tum Canonicos, cum ceteros omnes ejus Eccleſiæ Filios, tanto amplius augeri in ipſis Divini Officii aſſiduitatem, & dignitatem, quanto dignior eſt Domus Domini inter ipſos ædificata. Ibi quoque Eccleſiaſticos modulos introduci cupimus, nec Bullearum Clericos ab Urbis Scholis, ob Eccleſiaſticum Servitium, exemptos, ab hoc examine ſubtrahemus. Sacerdotes non Beneficiati, vocibus ſanctitatis ad quotidiana Eccleſiæ miniſteria vocentur, etiamſi non vocati voce retributionis. Stimulos nempe addimus ſponte currentibus, lætati cauſas non ſubeſſe, ut ſegnitiem increpemus.

Reliquis in Parochialibus omnibus ſanctam conſuetudinem Divi-

Divina Officia publicitus Feſto quoque die perſolvendi cum Cappellanis & Sacerdotibus intervenientibus laudamus, & ſervari exačte decernimus. Conventualis Miſſa, ubi Sacerdotum deeſt numerus, a Populo recepto more cantetur Dominicis diebus: ante Conventualem Miſſam aſperſio fiat aquæ benedičtæ, ut pro variis temporibus notatur in Miſſali Romano; quem ritum, ſicubi jam uſu excidit, renovari volumus. Nec numeri paucitate, ſe ab hoc Dei obſequio ſubducant: Ubi enim duo, vel tres ſunt congregati in nomine Domini, ſpondet Chriſtus in medio eorum ſe eſſe futurum; atque ex hac officina benedičtio profluat in Populum de rore cœli, & de pinguedine terræ. Rubricas, & Cæremonias, quoad fieri poteſt, ſervent exačte: inſtručtis primum circa agenda Sacriſtis, Confratribus, juvenibus aptioribus; ne ex Altari contingat, confuſione, clamoribus, defečtu neceſſariorum, deturpari majeſtatem cultus, devotionemque turbari.

Miſſa Feſtiva Conventualis cantetur in Parochiis.

Deficiente proprio Eccleſiæ Noſtræ Direčtorio, decretum olim in Synodo Gabrielli P. 1. cap. 8. fuerat, ut uniformiter Divinæ Laudes juxta Kalendarium Metropoliticum celebrarentur ab omnibus, nec cuiquam vagari fas eſſet, aut arbitrario uti Kalendario. Nunc aučto Cleri numero, Deoque, beneficio ſuo, incrementa largiente, Sacerdotio multiplicato, Nos exemplum Marini Bozzatini Prædeceſſoris Noſtri ſequentes, decus hoc Eccleſiæ reſtituere conati ſumus, fore ſperantes, ut interea, formatis in Rubricarum ſtudio Clericis, nunquam ſit defuturum. Proviſum eſt autem Kalendarii exačte conſtituendi rationi per Tabellam huic Synodo adječtam, in qua continentur Officia Sanctorum, quæ præter Romanum Breviarium ſunt vel Jure, vel Conſuetudine Nobis ad celebrandum ſuis ritibus conceſſa, quibus nemo addere quidpiam, vel detrahere præſumat, niſi a Summo Pontifice nova Officia, vel Eccleſiæ Univerſali, vel Venetorum Dominio, vel Noſtris peculiaribus ſupplicationibus concedantur. Sciant porro omnes, ex Summorum Pii V., & Urbani VIII. Decretis, ſi quæ Officia arbitrarie celebranda, non iis impetratis facultatibus, adjiciantur, Officii celebrandi debito minime fieri ſatis.

Ad Direčtorii Diœceſani normam celebrentur Horæ Canonicæ.

Conſuetudinem Eccleſiarum ſingularium probamus celebrandi de S. Patrono Præcipuo, & Eccleſiæ propriæ Dedicatione Officium ſub ritu duplici primæ claſſis cum Očtava, ita diſponentibus Rubricis. Ceterum, cum diſcrimina hæc nequeant ſine confuſione in Kalendario pro omnibus Parochiis notari, Nos diſtributis pro Inſignioribus Eccleſiis Officiis, reliqua Parochorum experientiæ remittimus. Feſtum S. Maximi Patroni minus

nus Principalis ex Decreto Synodi Gabrielli ritu dupl. 2. cl. cum Octava celebrabitur in Diœceſi univerſa, Conſuetudine diuturna firmato: quamquam juxta Rubricas duplicis majoris unice titulo celebrandum eſſet.

Nemo ad Horas Canonicas in Urbe, Terris, & Pagis accedat, niſi talari veſte indutus, & ſuperpelliceo. Id ſervent Parochi etiam in Villis, & Sacerdotes ibi moram trahentes, tolerato tantum breviorum veſtium in Choro uſu, & ſuperpellicei defectu in iis Sacerdotibus, quibus ab extra advenientibus, ob veram incommodi itineris neceſſitatem, deeſt hæc in promptu habendi ratio, modo immediate in Altari non miniſtrent. Inceſſus, ſtatus, habitus in Choro, & Eccleſia ſanctitatem oſtendant. Nulli ibi vani ſermones, nulli ſtrepitus fiant. Agenda, recitanda, pſallenda primum prævideantur. Ad Rubricarum præſcriptum ſedeant, ſtent, genuflectant uniformiter. Pſalmodia alta, & intelligibili voce, ſervatis debitis pauſis, per Aſteriſcos ſignatis, compleatur. Cantus pietatem ſapiat, non vanitatem, aut diſſonantiam. Pſallatur ſapienter: eſt vero initium ſapientiæ timor Domini. Cum Eccleſia triumphante Laudes, his Legibus, Eccleſiæ militantis alternantur. Secus qui fecerint, iis conſultius fuerit abeſſe, ne maledicto ſubjiciantur contrafacientes opus Dei negligenter. Clerici vacationum cauſa, vel legitimis aliis titulis procul a Cathedrali, Choro interſint loci, in quo commorantur. Hujus frequentiæ redeuntes teſtimonium a Parochis acceptum præſentent. Sancta ſancte peragantur. In majeſtate, & morum innocentia cum Angelis & pueris Hoſanna Domino cantemus.

Leges Sacerdotibus Chorum adeuntibus.

Decretum. De Concluſione Primæ Seſſionis, & de Continuatione Secundæ.

DEcernimus Secundam Seſſionem fore craſtina die mane, quæ erit 28. Auguſti, hora duodecima.

SES-

SESSIO SECUNDA.

CAPUT I.

De Sacramentis in genere.

PRetioſum, & ſublime a Chriſto Eccleſiæ collatum donum Septem ſunt Sacramenta, quæ ex ejus in Cruce pendentis latere fluentia tantam nacta ſunt efficacitatem, ut inæſtimabilis ſpiritualium divitiarum cenſus, & theſaurus bonitatis Divinæ in his videatur eſſe depoſitus, ne quid a Fidelibus deſideretur ad animi comparandam felicitatem. Sunt enim hæc Salvatoris fontes, ex quibus hauriuntur in gaudio aquæ ſalientes in vitam æternam. Sunt hæc Dei noſtri miſericordiæ viſcera, in quibus viſitavit nos oriens ex alto: his humana incipitur juſtitia, incœpta augetur, aucta perficitur, amiſſa recuperatur. Præ oculis hæc habeant horum Miniſtri, ut ſancta ſancte pertractent; caſtoque, & puro fulgeat ſpiritu tantorum beneficiorum fidelis diſpenſator. Adminiſtrentur prompta lætitia, ſumma reverentia, interiore pietate, exteriore gravitate actionis, ſervatis exacte cæremoniis, & Ritibus in Romano Rituali præſcriptis, nulla re detracta, vel addita. Quod ut præſtari poſſit, frequentem Rubricarum lectionem non negligant, hoc advertentes, in rebus adeo Divinis vix eſſe quidpiam, quod levitate poſſit excuſari.

Libri Baptiſmatorum, &c. Præcipimus Collationes Baptiſmatum, Chriſmatum, & Matrimoniorum Conjunctiones compleri a Parochis, iis præciſe ſub Formulis, quæ in Romano Rituali præſcribuntur, tempore, Nominibus tum recipientium Sacramenta, tum Patrinorum, vel Teſtium, intelligibili caractere exacte ſignatis per Nomina, Cognomina, Prænomina; neque id differant, ſed quantocyus ab adminiſtrato Sacramento præſtent, ne ex oblivione ſit erroribus locus, ex quibus maxime poteſt Fidelibus, tum ſpiritus, tum fortunarum damnum emergere: quæ nos in Sancta Viſitatione diligenter inquirere non prætermittemus. Libri nondum expleti Succeſſoribus Parochis ab Œconomis Eccleſiarum tradantur fideliter, ut caute poſſint cuſtodiri. Denique novis incœptis Libris, veteres in Parochiali Archivio perpetuis temporibus ſervandi, deponantur.

Nul-

Digitized by Google

Nullum Sacramentum, extra neceſſitatis caſum, domi Mulieribus adminiſtretur, niſi aliter de expreſſa Epiſcopi Licentia fieri conveniat; ſed in Eccleſia Sacerdos miniſtrans Superpelliceo, & Stola ſit omnino indutus, quando repentina neceſſitas aliud fieri non ſuadeat. Munda ſint vaſa, pyxides, utenſilia, lintea ſacris myſteriis adhibita, ſed mundiores, & nitidiores eſſe curent ſpiritu, qui ferunt vaſa Domini. Quibus locis, & Veſtibus Sacramenta miniſtranda.

In Sacramentorum adminiſtratione caveat quiſque diligenter non modo ab impiæ Simoniæ, ſed etiam a turpis avaritiæ ſuſpicione, quæ eſt idolorum ſervitus. Neque directe, neque indirecte pretii quidpiam exigant titulo mercedis, ne cum Juda proditore Sanguinis pretium accipiant; ſed ſpontaneis Oblationibus, & Eleemoſynis a Fidelium charitate libenter traditis, & veteri conſuetudine firmatis ſint omnino contenti. Secus qui fecerint, pœnis in Jure Canonico conſtitutis omnino ſubjicientur. Nihil pro iis mercedis exigatur.

C A P U T II.

De Sacramento Baptiſmatis.

Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in Regnum Dei. Id denunciante hominibus Dei Filio Reparatore, quanti hoc ſacramentum interſit, oſtenditur, & quam gravi exponantur periculo infantium Animæ ex vitioſa Baptiſmatis dilatione. Quare in viſceribus Jeſu Chriſti hortamur fideles, ne differant natos ſuos, ſaltem ultra octavam diem Deo per regenerationis lavacrum conciliare, & Eccleſiæ ſiſtere in filios adoptionis adſciſcendos, etiam nullo apparentis mortis metu; cum repentinis, vixque prævidendis humana arte caſibus ſubjiciantur teneri artus infantium. Hoc cogitent, quo irremediabili cruciarentur dolore, ſi forte ex ipſorum neglectu Nati cujuſpiam ſui Anima in æternum a Dei conſortio excluderetur. Rogamus etiam Parochos, ut id a Plebe ſua exigere, monitione, perſuaſione, ſeveritate nitantur. Pueri intra octo dies baptizandi.

Curent quoque obſtetrices formam, & modum Baptiſmatis adminiſtrandi probe callere, ut neceſſitate urgente, illud miniſtrent, ſecluſis erroribus & ſuperſtitionibus. Quare quotannis illas examini ſubjiciant circa tam neceſſaria. Quod ſi vel obſtetricem, vel alium non Sacerdotem adminiſtrare contigerit, toties quoties ſedulo cognoſcat Parochus, quemadmodum adminiſtratio proceſſerit, ut in dubio Ritualis Romani præſcripta ſerventur. Obſtetrices ſint in Baptiſmatis modo inſtructæ.

Sic regenerati Eccleſiæ ſiſtantur, nec ſacræ cæremoniæ in longum tempus differantur. Parochus vero in libro utrumque de- Cæremoniæ cum baptizatis

 ſcri-

52

in neceſſitatis caſu, in Eccleſia ſuppleantur.

ſcribat. Sciant etiam Parochi, non eſſe ab ipſorum paterna charitate alienum noſſe, an obſtetrices ſatis ſint in obſtetricandi miniſterio expertæ, & publicam implorare contra imperitas poteſtatem, ne quod nimis ſæpe contingit, ex earum artis ignoratione cum infantium animis, tum ipſorum, tum Puerperarum vita perdatur.

De Patrinis, & nominibus imponendis.

Circa Patrinos, ſive in Baptiſmate ſuſceptores ſervetur Tridentini Concilii Decretum, ut unus tantum ſuſcipiat vir virum, mulier mulierem, vel ad ſummum duo, nempe vir, & mulier, qui pubertatis annos exceſſerint, excluſis non Confirmatis, non accedentibus in Paſchate ad Euchariſtiam, publicis peccatoribus, & infamia publica laborantibus. Sacerdotes, & Clerici etiam in minoribus conſtituti, ad Baptiſma quempiam, niſi de Licentia Epiſcopi, vel Vicarii Generalis, non ſuſcipiant. Cognoſcat Populus Parochorum miniſterio cognationem ſpiritualem, inde contractam, & quid per ipſam Impedimenti ad matrimonia importetur, quidve ſuſceptores debeant ſuſceptis, tum ſpiritualis, tum temporalis auxilii, ex hujus Cognationis debito; ut non tamquam inutilem ritum, ſed veluti graviſſimum ſponſionis genus hoc officium venerentur. Nomina Sanctorum in Martyrologio contentorum imponantur. Conceduntur nomina quædam longa domeſtica ſerie familiaria, modo non turpia, vilia, ridicula, & homine Chriſtiano indigna.

Locus Baptiſmatis.

Partu forte extra Parochiam propriam edito, Proles ad eum fontem, in quo nata eſt, baptizetur, ne itineris incommoditatibus ſit expoſita. In utriuſque vero Parochiæ libro ejuſmodi Baptiſma deſcribatur. Incertorum Genitorum Filius baptizetur: diligentiſſime deſcribantur circumſtantiæ omnes, antequam publicæ exponatur pietati. Collo appenſum habeat teſtimonium ſuſcepti Baptiſmatis. Nihil omittatur, quominus Adultus poſſit a Parentibus fortaſſe cognoſci. Parochorum circa hæc omnia neglectus ſervabitur proculdubio in diem ultionis Domini.

Regulæ circa Incertorum filios.

Matres hortentur ad curam fœtus.

Hortentur Mulieres, Deo, in ea potiſſimum difficili, & periculorum plena circumſtantia fecundati ſinus, reconciliari, & ab eo tam ſibi, quam Proli ſuæ auxilia poſtulare. Caveant ab nimiis laboribus, & iis omnibus, quæ Proli nocere poſſint: ne ipſarum culpa infans, ſi in utero pereat, animam & corpus ejus in interitum tradant. Vehementer deſideramus Puerperas, poſt quadraginta puerperii dies ad Eccleſiam primo accedere, atque ibi juxta Romani Ritualis formam Benedictionem accipere, & gratias Deo pro ſe & Prole ſervatis reddere. Quem ritum, quamquam non de præcepto obligatorium, tamen ab Univerſa Eccleſia ubique ferme cuſtoditum, in Diœceſi Noſtra ne-

Purificatio Mulierum puerperarum.

Digitized by Google

negligi dolentes proſpicimus, & cupimus plene reſtitui: Sacerdotibus porro idipſum opportune inſinuantibus, renovatum iri non deſperamus.

C A P U T III.

De Sacramento Confirmationis.

Confirmationis Sacramento in fide, & charitate roboramur, cujus præludium Oblatio Puerorum Servatori facta fuit, ut manu impoſita ſpiritum in ipſis augeret pietatis: inſtitutio ex Chriſti latere, omnium Sacramentorum fonte, unde Spiritus Sanctus viſibili quidem ſigno primitivis Fidelibus, ſemper autem inviſibili effectu Nobis ſua chariſmata confert. Iis nempe Chriſtianus homo munitus, non modo contra exteriores hoſtes, & tenebrarum poteſtates, verum etiam contra interiores colluctationes, adverſus carnem, & ſanguinem certat certamen bonum, & juſtitia coronatur.

Hujus itaque Sacramenti dignitas commonet, ut in primis commendemus cuſtodiam, non eorum modo, quæ communibus Eccleſiæ Legibus circa ipſius ſuſceptionem ſancita ſunt, ſed eorum quoque, quæ pro Diœceſis Noſtræ utilitate ſunt in Superioribus Synodis præſcripta. Inſtante igitur Sanctæ Viſitationis tempore, Animarum Curatores diſponere non omittant omnes, qui nondum illud ſuſceperint, ut ad ipſum devote, & fructuoſe accedant a Nobis conferendum. Non permittant Puerulos niſi circa ſeptennium confirmari, ut illius ſuſcepti reminiſci poſſint, & reiterationis vitare, ex oblivione, periculum: atque inſuper animum ſpontaneis actibus virtutis ad ipſius gratiam parare. Qua ſane ex cauſa Eccleſia Latina veterem ſuſtulit conſuetudinem illud infantibus impertiendi, qui Baptiſmate regenerati ante rationis uſum in felici innocentia hoſtes adorientes non experiuntur, quibuſcum ſit novæ gratiæ præſidiis dimicandum. Moneant, ne extra Diœceſim illud ſuſcipiant, vel de ſuſcepto Parochum proprium certiorem faciant, ne in Libris non regeſtum fortaſſe reiteretur. Nomina etiam notentur Patrinorum. Prohibemus cuilibet Confirmando plures adhiberi Patrinos, ſed unus ſit tantum novus eorumdem Sponſor. Maſculi a Maſculis, Feminæ a Feminis ſiſtantur, omni contrario abuſu ſublato. Non ſiſtant, qui a puerorum in Baptiſmo ſuſceptione excluduntur, iiſdem prorſus Legibus. Neque eadem die, plus quam tres ab Uno, vel Una ad Confirmationem præſententur. Confirmandi Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum, Myſteria

Leges pro Confirmandis.

Digitized by Google

præcipua Fidei, Actus Theologalium virtutum omnino calleant. Id Parochi cognoſcant; ſuper quo ipſorum aggravamus conſcientias. Non Confirmati ad Matrimonium admitti non poſſint, præterquam in caſibus neceſſitatis a Parochis prudenter expendendis. Qui uſu rationis pollent, ea ipſa die Sacramentalem Confeſſionem præmittant, ne plenitudini accipiendæ gratiæ per peccatum obſiſtant. Culpæ gravis rei, ſi ad illud accedant, valide accipiunt, ſed Sacrilegio illaqueantur. Patrini ſiſtentes Eccleſiæ Confirmandos cum gravis criminis conſcientia, nova mortali culpa, toties quoties gravantur. Hæc omnia doceatur Populus, præſertim urgente ejuſdem publicæ collationis tempore. Ceterum devote petentibus hoc Sacramentum Nobis ſpeciali jure ad miniſtrationem concreditum, præſto erimus ſemper præſertim ægrotis, & in mortis periculo conſtitutis, ne quiſpiam noſtra culpa tam ubere Divini Chariſmatis beneficio doleat ſe fuiſſe privatum.

CAPUT IV.

De Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.

QUod de Sponſa ex latere ſuo ædificata terrenus olim Adam pronunciavit: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea;* id potiori jure a nuovo Adamo de cœlo cœleſti, cunctorum viventium mater addit Eccleſia e latere ejus aperto educta, atque ejus Carnibus & Sanguine ſaginata. Nulla igitur eſſe ſatis poteſt pietas, nulla reverentia, nullus honor exæquans hujus Sacramenti dignitatem, atque dignationem, qua Deus intime appropinquans Nobis ſuæ Nos efficit Naturæ conſortes, & vitam abundare facit in ſuo Sacratiſſimo Corpore refectos, in ſe ipſum animas noſtras convertens.

Propterea ad jugem, ſemperque majorem hujus Sacramenti gloriam, renovamus, atque confirmamus omnia quæ ſacræ Euchariſtiæ Cultum, atque cuſtodiam a Prædeceſſoribus Noſtris ſancita, & decreta ſunt, tum circa Tabernaculum, & claves, tum quoad particularem renovationem quintodecimo quovis hyberno die, octavo autem æſtivo, tum quoad Lampadem perenniter, ubi ſervatur, prælucentem. His vero addimus, Tabernaculum interius ſemper ſerico, ſi fieri poteſt, albo obductum eſſe oportere, & Pyxidem, ſive Oſtenſorium ſuper pallam benedictam deponi.

Iiſdem Ordinationibus inhærentes expreſſe prohibemus, ſine Noſtra, vel Vicarii Generalis Licentia Euchariſtiam patenter ad ado-

adorationem exponi, præter Feſtum Corporis Domini, & quo ſalutaris eſt conſuetudo, in aliqua Menſis ſinguli Dominica die ſolemniter poſt Miſſam Proceſſionem cum Venerabili Sacramento fieri, & Populo benedici. Quam conſuetudinem in omnibus Parœciis introduci vehementer deſideramus. Confirmamus etiam veteres, & jam uſu, atque Prædeceſſorum decretis approbatas conſuetudines Sacramentum certis quibuſdam diebus exponendi ad publicam adorationem. In publicis neceſſitatibus, vel calamitatibus ad excitandam Divini auxilii fiduciam liceat Parochis Pyxidem clauſam ſuper Altare exponere & cum illa Populo benedicere. Euchariſtia quando Fidelibus ad adorationem exponenda.

Sexdecim ſaltem Cerea luminaria ardeant, quo Panis vivus, & vitalis ad colendum proponitur, ut omnis boni origo etiam ex fortunarum humanarum tenuitate honoretur. Oſtenſorium vel argenteum ſit, vel cupreum deargentatum, vel inauratum: Lunula argentea omnino auro referta. Hinc, & inde nitidiſſima Cryſtalla Sacram Hoſtiam claudant. Interdictum Oſtenſorium erit, donec fortuito fracta Cryſtalla reſarciantur. Ubi Expoſitionis Quadraginta Horarum devotio jam eſt in more poſita (quam ubique extendi potiſſimum tribus primis Majoris Hebdomadæ feriis cupimus) non exponatur Dominicum Corpus ante Auroram, & ante *Ave Maria* ſerotinæ ſignum deponatur, quod ad ſignum omnes omnino Eccleſiaſticas Functiones expleri, juſtis commoventibus cauſis, Lege graviſſima cautum eſt. Ad expoſitum Dominicum Corpus Sacerdotes alternatim, & Clerici ſinguli per horam orantes, ſacras excubias faciant, ſuperpelliceo, & ſtola, quibus convenit, induti. Nemo ab hac alternatione cenſeatur exemptus. Paucitati Clericorum conſulatur auxilio Laicorum Sanctiſſimi Sacramenti Confratrum, ita ut omnino Corpus Domini expoſitum ſine publica adoratione non remaneat. Modus exponendi Euchariſtiam.

Hortentur Fideles non colere modo, verum refici frequenter ad Sacrum Convivium pane vitæ. Qui a Dominica in Ramis Palmarum ad Dominicam in Albis, niſi juſta ſubſit cauſa, ab Sacra abſtinent Communione, ut Refractarii Eccleſiæ Legibus cenſeri debent. Ceterum ob conſcientiæ neceſſitates liceat Parochis hoc tempus cum Fidelibus indulgenter ampliare uſque ad Pentecoſtes, ut antequam ad Sacram Synaxim quis admittatur, poſſit Sacerdoti de ipſius emendatione conſtare. Ulterior Paſchalis temporis extenſio, Nobis inconſultis, non fiat. Euchariſtia in Paſchate ab omnibus ſumenda.

Ceteris in ſolemnitatibus invitentur Fideles ad Menſam Domini accedere puros corde, innocentes manibus, & exteriore etiam veſtium, inceſſus, oris modeſtia, & ſimplicitate, pie- Modeſtia Cultus in

Digitized by Google

hujus Sacramenti ſuſceptione.

pietatem animi præferentes. Mulieres modeſte velato capite ob Sanctiſſimi Sacramenti, & Angelorum ibi adſtantium reverentiam accedant. Immodeſto ornatæ corporis cultu a Sacerdote Communionem non accipiant. Animum primum pœnitentia ſincera emundent, ne cedat ipſis in venenum, ut Judæ proditori, quod ad vitæ delicias diſtribuitur.

Sacerdos in Miſſa Communicet petentes.

Cum autem optet Sacroſancta Tridentina Synodus in Miſſa quavis adſtantes, ſi fieri poſſit, de Sacrificio participare, ideo Sacerdotes, niſi gravi impediantur cauſa, de eodem ſuo Sacrificio diſtribuere petentibus non renuant, tempore & modis in Rituali præſcriptis. Improbamus uſum communicandi ante Miſſæ initium cum Caſula & paramentis, quem ſuſtolli volumus, niſi aliud ſuadeat neceſſitas; & volumus, Sacerdotes poſt Communionem propriam Adſtantibus, & petentibus Euchariſtiam diſtribuere. Sacerdos extra Miſſam Communicans omnino ſuperpelliceo, & Stola alba utatur, duobus accenſis cereis, & Miniſtro, nomine communicantis populi, Confeſſionem faciente.

Qui ad Sacram Synaxim admittendi.

Non admittantur communiter ad Euchariſtiam Pueri non adhuc duodennes, niſi aliud pro ſingularibus circumſtantiis a Parochis judicetur expedire. Sciant, qui admittuntur, Majeſtatem panis, cui ſunt participaturi. Doctrinæ Chriſtianæ ignari excludantur. Quare in Quadrageſima opportunis horis ſpecialis habeatur a Parochis pro noviter in Paſchate Communicandis inſtitutio; ſacris enim monitis docti hoſtiam ſalutis digne ſument. Negligentes Parochi, vel Parentes gravem in ſe vindictam cogent a Deo juſto retributore.

Modus Euchariſtiæ infirmis deferendæ.

Cum ad infirmos deferenda erit ſacra Euchariſtia, in Civitate, Terris, Caſtris, Villis, ſigno dato Populus advocetur, & cum facibus, & Baldachini ſive Umbellæ delatione Dominum egredientem comitetur. Poſt conveniens ſpatium (niſi urgens ſit, & repentina neceſſitas) procedatur in Canticis ſpiritualibus. Sacerdotes, & Clerici hoc, Deo vias noſtras prætereunti, obſequium omnium primi præſtent, ut non ſacris modo, verum etiam piiſſimis Publicis Legibus invitantur. Populus ex eorum exemplo, & vocibus intelligat, quantarum fiat particeps Indulgentiarum, & quam ſibi exinde ſperandum ſit, in ſuis infirmitatibus a Deo ſe fore viſitandum. Campanulæ ſonitus præcedens moneat domi ſtantes, ut incedentem Deum, & compita noſtra ſanctificantem adorent. Infirmus communi prece, & Sanctorum communione juvetur.

Idem in locis campeſtribus.

Sed cum Viaticum Corporis Domini per aſpera, & difficilia loca defertur, Sacerdos Superpelliceo, & Stola veſtitus Sacramenti particulam in argentea, intus vero ornata capſula e col-

lo

lo pendente ante pectus gerat, & ſaltem una face in fanali, ne extinguatur, & campanulæ ſonitu, vel pedes, vel æquitando procedat alternatim cum Clerico, ſi adſit, vel ſolus, ſi rudem Laicum ſocium habeat, Pſalmis, & Hymnis invocans Patrem miſericordiarum. Nullo tempeſtatis, incommoditatis, itineris, vel cujuſve damni metu Parochi ad Viaticum Fidelibus in vitæ diſcrimine poſitis miniſtrandum arceantur. Hoc recogitent: ſi quis tali præſidio deſtitutus decedens detrimentum animæ patiatur, gravem eos eſſe Domino rationem deſidiæ reddituros. Tunc enim tempus eſt, ut periclitantem Ovem corroborent, & muniant ad vitam æternam.

Hortamur filios Noſtros Laicos Confraternitatum Sanctiſſimi Sacramenti Curatores, ut primi omnium facibus, præſentia, proſecutione, pietate ſacram Euchariſtiam colant. Nunquam ipſorum culpa ſit indecens, vel indecorum aliquid in Altari Dei. Chriſti patrimonium miniſtrare ſe ſciant. Officiales eligant idoneos, probos, zeli plenos. Nemo ex Altaris bonis ſibi proficere blandiatur ad vitæ fortunas. Etſi nondum quidpiam triſte noverint ſibi ex culpa contigiſſe, Altiſſimum eſſe patientem redditorem reminiſcantur. *Sanctiſſimi Sacramenti ſcholæ.*

Clerici ſemel ſaltem in Menſe communicent: bis Subdiaconi; qualibet die Dominica Diaconi. Hoc ſi negligant, arcebuntur a graviore Altaris miniſterio. *Communio Clericorum.*

Oramus enixe Parochos, ut omnia Fidelium tum Communicantium, tum non Communicantium nomina quotannis exacte deſcribant circa Paſchatis tempus, & ad Epiſcopum mitti curent, ut ex iis regeſtis poſſimus Paſtores nominatim oves noſtras vocare, quas errantes humeris ad Dominum referre tenemur. Leve id ſane fiet ſingulis eos deſcribere, quorum familias & domos noverunt uſu diuturno; Nobis porro utiliſſimum ad univerſi Gregis procurationem ſollicitis. Id conſuetum diu, nunc paulo abhinc tempore prætermiſſum renovari omnino volumus, & a Conſacerdotum Noſtrorum charitate expectamus. *Status Animarum in Paſchate deſcribendus.*

In Eccleſiis, ubi Tabernaculum Corporis Domini ſervatur, Miſſa quotidie, ſi fieri poteſt, ſaltem una celebretur. Sed ultra tres dies nulla ratione careat Sacrificii obſequio locus Domini præſenti Majeſtate plenus. Nobiſcum commorantem Deum Cœli honoremus in via, quo in Patria æternum potiri, & in eo felices eſſe ſperamus. *Miſſa quotidiana, ubi Euchariſtia ſervatur.*

CA-

Digitized by Google

C A P U T V.

De Sacroſancto Miſſæ Sacrificio.

EXcelſum Sacerdotum munus eſt, quod ipſorum Miniſterio, quotidie Redemptionis opus incruento Sacrificio renovetur. Sublime eſt munus, ut pro Deo ad Eccleſiam, rurſuſque pro ipſa ad Deum legatione fungamur. Veteris Legis omnia Sacrificia umbræ hujus fuerunt, imperfectæque imagines: hoc enim offerimus Latreuticum, Euchariſticum, Propitiatorium, Impetratorium; Deum in illo triumphantis Eccleſiæ nomine glorificantes; pro militante propitium reddentes; pro purgante impetrantes pœnæ remiſſionem. Huic tam tremendo operi non modo Sacerdotes incredibili reverentia præſtari neceſſe eſt; verum, & plebem Chriſti cum Sacerdotibus offerentem pari humilitate, devotioneque intereſſe, cui ſane Angelorum exercitus tremebundos adſiſtere Regique Regum in ſalutari hoſtia immolato admiranter adeſſe, Fide docemur.

Atque injuriam Sacerdotum pietati inferri timeremus, ſi quam de ipſorum circa ſanctiſſimam hanc Miniſterii ſui partem deſidia admitteremus ſuſpicionem. Officii porro Noſtri debitum implemus, quæ huc ſpectant revocantes in memoriam, & nova confirmatione decernentes. Sacerdos quiſque ſaltem hebdomadatim per pœnitentiam Deo reconcilietur, niſi (quod abſit) culpa ſit gravi inquinatus. Sacrificium, Matutinarum precum Recitatio, præparatio præſcripta, mentis ſeria collectio præcedat; oratione, gemitibus, charitate animum ad tantum opus diſponat. Sacris indutus veſtibus, cum nemine colloquatur, ſed totus in eum, quem eſt oblaturus, converſus, modeſtis oculis, gravi inceſſu, ad Altare orans ſuſpiriorum voce procedat. Expleto Sacrificio, iiſdem Legibus, gratias agens redeat, ſacra deponat, oret.

Diſpoſitio Sacerdotis ad Miſſam.

Miſſa nec ultra tres horæ quadrantes protrahatur, nec minus uno cum dimidio quadrante contrahatur. Caveatur a præcipiti mutilatione verborum, blateratione, præpropera cæremoniarum impletione, indecentibus, & incompoſitis motibus, quibus haud ſine magno fidelium ſcandalo, contemni videtur Sanctus Sanctorum. Prolixitate pariter nimia hebetes in pietate faſtidiri, cum experientia compertum ſit, compati etiam operæ pretium eſt puſillorum infirmitati. Clare, & diſtincte legantur legenda; Cæremoniæ verbis, ut præſcribitur in Rubricis, reſpondeant. Nihil omnino addatur, vel detrahatur notatis in Miſſali pro Miſſa, quocumque devotionis prætextu. In re tam gravi nulla minoris momenti cenſenda eſt tranſgreſſio. Ex tota Sacerdotis actio-

Modus Miſſæ Celebrandæ.

Digitized by Google

actione videat Populus rem Divinam agi, & veneretur. Inſtruantur Miniſtri, pueri præſertim diſtincte nomine Populi reſpondere, & decenter, graviterque miniſtrare. Qui ſecus fecerint, excludantur. Super quo Sacriſtarum oneramus Conſcientias, ne permittant miniſtrari a non recte pronunciantibus, vel jocoſe agentibus pueris. Si quis Sacerdos, vel feſtine nimis, vel inexacte circa Rubricas, vel alia in Sacrificii oblatione indecenter ſe geſſerit, præter maledictionem Dei contra facientes opus ejus negligenter, ſciat ſe omnino a Nobis Suſpenſionis a Divinis pœna puniendum.

Curent ſedulo Sacerdotes celebraturi, ne vino vel aceſcente, vel aquæ mixto, vel alias incongruo utantur, quod negligi quandoque ſummo dolore comperimus. Præſtat non celebrare, quam dubia materia Sacramentum nullitatis periculo exponere. Quare artefacta vina vetamus adhiberi, ex mixtionis periculo, niſi certo conſtet eſſe ſimpliciter ex uvis expreſſa. Vini pro Miſſis venditores, vel præparatores, ſi aqua temperatum ad hoc doloſe vendant, aut ſubminiſtrent, Sacrilegii reos fore ſe ſciant. Nullibi tanti eſt dolus æſtimandus, ad quem vel gula fert, vel turpis lucri cupido. Parochi de hoc Populum commonere non negligant. *Materia Sacrificii.*

Linteamina ſordibus vacent, præſertim Purificatoria, & Corporalia, quæ immediato contactui Corporis, & Sanguinis Domini patent. Itaque præſtat ad hoc Vino albo in Miſſis uti, in Eccleſiis præſertim haud copioſa linteaminum ſupellectile inſtructis. Parochi circa munditiem eos, ad quos ſpectat, providere obſecrent, increpent, arguant. Nos in Viſitatione Generali diffuſa Eccleſiarum paupertas indulgentiores reddidit ſpe reparationis. Pleraque tamen omnino neceſſaria decreta ſunt, quæ ſi neglecta fuerint, nihil erit quominus interdicto Altaria, mobilia, ſupellectilem ſupponamus. In Oratoriis, & Eccleſiis Laicalibus deſiſtant potius a Miſſa celebranda Sacerdotes, quam indecoris, & immundis veſtibus Hoſtiam offerre immaculatam. *Decentia in Miniſterio.*

Exterarum Diœceſum Sacerdotes ad celebrandum non admittantur, niſi exhibitis Teſtimonialibus ſui Ordinarii Literis, a Nobis poſt octavum diem, vel Vicario Noſtro Generali ſubſcribendis; niſi tales eſſent propinqua ſtatione, & fama optima cogniti, probatique, cum quibus benignius eſſet agendum. Celebraturi habeantur a Parochis, & Sacriſtis humaniter, iiſque gratis omnia ſubminiſtrentur. Hoſpitalis hujuſce Charitatis actus tenuis eſt, adeo ut vix incommoditatis quidquam Rectoribus Eccleſiarum importet. Eſt vero turpe admodum dictu, peregrinum Sacerdotem a Miſſa arceri ob negatum ſibi vini hauſtum, hoſtiam, & luminaria, quæ ſecum non advehit. Huc ſpiritualiter *De Extraneis celebraturis.*

ſpectat frangere eſurienti panem proprium, & alteri facere, quod bonum ſibi quiſque velit.

Ordo Miſſarum in Parœciis.

Nulla in Parochialibus Miſſa celebretur Feſtis diebus ante eam, quæ Prima dicitur, in qua pueri paſtorum, & rudiores Catechiſmum docentur. Miſſæ privatæ ceſſent hora ſaltem una ante Miſſam Parochialem, a qua oportet non diſtrahi populum, & ſui Paſtoris verbum audire. Hæc iiſdem diebus ſolemniter, ſi fieri poteſt, cantetur, vel a Sacerdotibus, ſi adſint, vel a Populo. Poſt *Sanctus* rurſus privatis Miſſis locus pateat. Aucto fere in omnibus Parœciis, benedicente Domino, Sacerdotum numero, Conſtitutiones Synodorum præcedentium ad Italicarum nobiliorum Eccleſiarum normam componi, ut tempus celebrandæ Miſſæ omnibus concedatur, viſum eſt.

Miſſa Conventualis.

In Conventualibus *Miſſis*, popularis cantus ædificationem inſpiret; quare capaciores populares, præſertim pueri, ad hoc inſtruantur. Serventur, quoad fieri poterit, Rubricæ pro Miſſis ſolemnibus præſcriptæ. Confirmamus, & omnino ſervari volumus uſum canendi Illyrica Lingua Epiſtolam, & Euangelium, & cetera eo idiomate Populo annunciari conſueta. Oramus Parochos, & Cappellanos, ne id unquam Feſto die prætermittant, ne ſcilicet paulatim utilis hic ad Fidelium intelligentiam uſus, ſanctiſſima vetuſtate confirmatus, decreſcat.

Inſtitutio Chriſtiana in Miſſis Parochialibus.

Si quem Feſtum diem in Filialium Eccleſiarum aliqua celebrari contigerit, una ſaltem Miſſa in Parochiali celebretur, tum ob Sanctiſſimi Sacramenti reverentiam, tum ne ſenibus, aut alia ratione impeditis deſit Miſſæ audiendæ copia. Ubi unica eſt Miſſa, celebretur a Parocho hora Populo opportuniore, & prævio triplici Campanarum ſigno. Catechiſmi inſtitutio Miſſam præcedat, quo majus ſit omnibus intereſſendi ſpatium. Quo convenit ſummo mane pueros ad paſcua regenda deſtinatos docere, ſigno convocentur. Non ſit Sacerdoti vanum ante lucem ſurgere, quia promiſit Dominus coronam vigilantibus. Summo nempe dolore id negligi alicubi accepimus in Paſtorali Viſitatione. Væ, niſi petentibus panem verbi vitæ frangamus.

Onera, & Eleemoſynæ Miſſarum.

In qualibet *Sacriſtia* Tabella Onera Miſſarum continens pendeat publice expoſita. Liber inſuper habeatur, in quo Celebrantes nomen ſuum, & pro quibus obtulerint, propria manu deſcribant. Miſſæ tempore, loco, die, Altari, & ritu ab Oblatoribus præfixo celebrentur, ne Offerentium fraudetur votum. Confraternitatum, ſive Scholarum Adminiſtratores ſciant ſe primo ex Redditibus ad Onera Miſſarum implenda teneri. Redditus, ſi ſine culpa defecerint, a Nobis Onerum impetrent, re clare probata, diminutionem. Vigilare tenentur Parochi, ut fideliter miniſtren-

ſtrentur Defunctorum Theſauri. Si qui miniſtratores Onera impleta negligunt, vel non fideliter pia Patrimonia coſtodiunt, Nobis per Parochos innoteſcant, imploraturis utique a Publica Pietate remedium.

Utinam id præſtare poſſemus, ut Quotidiana pro Miſſis Eleemoſyna habita, ex Altari viverent, qui Altari ſerviunt. Sed temporum anguſtiæ, Diœceſis inopia, & frigeſcens multorum charitas impedit, quominus id ſperare liceat. Ceterum non exinde tepeſcant Sacerdotes, quin Miſſas frequenter ſi ſint diſpoſiti celebrent, uberiorem Mercedem a Domino habituri. Non ultra ſolidos 20. Eleemoſyna pro Miſſis jure hactenus exacta eſt. Hanc, temporum immutatis rationibus, victuque jam omnino carius comparato, ad ſolidos 25. producere placuit, ut ſit Sacerdoti congruum ex Altari alimentum. Ad hanc normam Onera Miſſarum cum gravatis nimium componere non detrectabimus. Accipiant, non petant, ſi quid datur liberalius. Accipiens celebret, vel totam omnino ſtipem eroget celebraturo. Mercimonium omne, aut ſuſpicio abſit, & avaritiæ ſpiritus. Turpe eſt, & Judæ ſimile Chriſtum immolatum pretio paciſci. Legantur ſæpe Pontificum de Celebr. Miſſ. Decreta, quorum gravis eſt obligatio. Contrafacientes rei ſunt in Deum, & Eccleſiam, Populo gravis ſcandali cauſa, & a Nobis proculdubio pro tranſgreſſionum modo corripiendi. Eleemoſynæ quotidianæ modi.

Confirmamus, & innovamus, quod in Synodo Mazzocca præcipitur, neminem rure venientem ocreis, vel lutoſis calceis, & ſine talari veſte ſaltem ad genua protracta, ad celebrandum admitti. Deponantur ocreæ ad Miſſam.

Renovamus quod in Synodo Provinciali ordinatum, decretumque eſt in præcedentibus Synodis noſtræ Diœceſis, nempe in omnibus Parœciis duo Anniverſaria annuatim celebrari: Unum de *Requiem* in die Obitus Epiſcopi immediate Prædeceſſoris, cum Officio integro Defunctorum: Alterum in die Conſecrationis Epiſcopi, quam Nos, licet immeriti, ſuſcepimus die 25. Julii. Ea die Sacerdotes Collectam in Miſſis addere tenentur ad hoc in Miſſali præſcriptam; & in Cathedrali, & Collegiata Miſſa de eadem ſolemniter celebretur, quod Charitatis officium enixe a Sacerdotibus Noſtris imploramus, ut adſit imbecillitati Noſtræ virtus Spiritus Sancti ad gravia Epiſcopatus onera cum Animarum utilitate ſuſtinenda. Miſſæ generales decretæ.

In Synodo Tommaſini præſcribitur aliud quoque Anniverſarium confirmatum a Synodo Gabrielli, die 5. Novembris in qualibet Parochia celebrandum pro Omnibus Epiſcopis, Parochis, & Sacerdotibus Diœceſis Noſtræ in Domino dormientibus, cum Miſſa Anniv. pro Parochis defunctis.

integro Defunctorum Officio . Quod rurſus libentiſſime proponimus, ut Nobis decedentibus eadem menſura , juxta promiſſa Domini , remetiatur .

C A P U T V I.

De Sacramento Pœnitentiæ .

ESſet ſane optandum nunquam infligi vulnus , quod ſummo dolore ſanatur , nunquam collidi Navim , in cujus naufragii fractis tabulis , ceteris unda demerſis , vix pauci appetunt Littus . Sed ea eſt humanæ habitudinis infirmitas , cordiſque , ad ſanctos gratiæ motus renitentis , perverſitas , ut a pleriſque Chriſtianorum non modo fiat per mortalem culpam Divinæ benevolentiæ jactura ; ſed etiam (quod cogitantes a lachrymis temperare vix poſſumus) diu in eo infelici ſtatu perſeverantes, vel ad culpam , ut canis ad vomitum , redeuntes, cum æterna morte luctentur, Dæmoniſque in abyſſum trahentia vincula, veluti joco pertractent . Verum, cum ſuperabundante miſericordia, ubi abundavit delictum , in quacumque hora peccator revertatur ad Dominum , promptus eſt ad ignoſcendum , & præſto adeſt Samaritanus pius , vulnera ligans , & ſanans, neque ulla eſt iniquitas major veniæ ſpe in animo pœnitenti .

Hæc porro per Pœnitentiæ virtutem Sacramento conjunctam obtinetur , quod merito ſecunda poſt naufragium tabula nominatur pro iis , qui amiſſa Baptiſmatis innocentia a Deo per actuales culpas receſſerunt . Sed , cum ad veniam tam ſincera cordis pœnitentia, quam oris Sacramentali Confeſſione Sacerdotibus facta , & operis plena ſatisfactione ſit opus , hinc animarum Paſtores in hoc eſſe debent omnes , ut non modo Gregem ſuum a culpis, orando, arguendo, monendo abſterreant, ſed ut doceant , quemadmodum Deo ſit pro jam patratis pœnitentia ſatisfaciendum . Infelici ſane experimento conſtat gravibus circumdari tenebris multorum animos, de Pœnitentiæ Sacramento ruditer æſtimantes, ut habeatur jam non vitæ renovatio, ſed tamquam pia quædam exterior conſuetudo .

Sed cum Confeſſariorum zelus , prudentia, doctrina, pietas, non humanum favorem , ſed animorum ſalutem unice conquirentium, inter alia medium efficax ſit a Deo adhibitum, ut ad meliora ducantur Chriſtianorum mores ; illud ſane conſequitur ex ipſorum vitioſa conniventia , & abſolvendi facilitate , vitia incrementum capere, animoſque in culpis obdurari. Quapropter obſecramus Sacerdotes omnes ad tam præſtans, graveque munus dele-

Digitized by Google

Qui peccatores, & quando non abſolvendi.

delectos, ut cauti ſint in Abſolutionibus Sacramentalibus impertiendis. Conſuetudinarios, Recidivos, & in proxima peccandi occaſione viventes, nonniſi efformato emendationis ſecuro judicio ad abſolutionem admittant: alienæ rei poſſeſſores, reſtituta re, damniſque reſarcitis Deo reconcilient, & ab eis etiam, qui vitæ, fortunis, honori alterius damnum intulerint, omnino reparationem exigant plenam, priuſquam ad Dei gratiam Sacramenti virtute admittantur. Diſpenſatores ſint Fideles Myſteriorum Dei, non inepti profuſores. Nam, ſi non vere pœnitentes abſolverint, vel debita ſatisfactione non præſtita, illos quidem in æternæ mortis ſomno confirmabunt, ſeſe autem, dum a Diaboli laqueo ceteros liberare curant, laqueo majore implicabunt. Animam nempe pro Anima Judex vivorum, atque mortuorum ab ipſis eſt flagitaturus. Promiſſis, ſuſpiriis, lachrymis minime fidem habeant, præſertim recidivorum excuſationes adferentium in peccatis, ut abſolutionem veluti carpant, ſeu potius novo ſe ſacrilegio contaminent: probatio nempe dilectionis exhibitio eſt operis. Neque abſque Dei amore ſaltem initiali quiſpiam ad Deum a culpa regreditur.

Confeſſarii Libros Moralium Auctorum probatorum faciliores præ manibus habeant.

A Deo continenter auxilia petere non ceſſent, & curent conſuli ſibi per Libros utiliores Theologiæ Morum, Manuales, & captu faciliores, ut ſunt *Theologia Morum Antoine*, & *Cuniliati*, & *Inſtructiones pro Confeſſariis S. Caroli Borromæi*, & *Epiſcopi Terzaghi*, & *alios hujuſmodi*. Hos aſſidue, niſi graviores Auctores in promptu habeant, diurna, nocturnaque manu verſent, ut decet Judices, & Medicos animarum, quos neceſſe eſt, eſſe in Lege peritos, ut ſententiam proferant, & plene cognoſcere Moralium Morborum indolem, & remedia ordinare, ut ægrotos ſpiritu reddant ſaluti. Confeſſarium Morales Libros legere omittentem a mortali culpa non excuſant benigniores quoque Theologi, cum ſemet non modo memoriæ defectuum periculo, verum etiam novarum Eccleſiaſticarum Legum ignorationi exponat.

Prudenter adminiſtrent.

Hortamur etiam Confeſſarios omnes, ut debitam ſeveritatem adhibeant, præſertim circa peccata ea, quæ ſolent magis in Populo prævalere, ut circa vini intemperantiam, & ebrietatem, & circa detractiones, potiſſimarum perturbationum cauſas, & origines. Prudenter abſolutio vel differatur, vel omnino negetur mancipiis Satanæ vilibus, ſpondentibus ſemper, numquam vero ſe a peccato ſubtrahentibus. Infirmis ſpiritu Sacramentorum remedium ingerant, & imponant adverſus pravas habitudines, & carnalitates, ut efficax contra ejuſmodi tentationes præſidium. Suadeant ad hoc etiam meliores, ut a culpa præſerventur. Satisfactoria, & Medicinalia remedia adaptent circumſtantiis

Digitized by Google

tiis pœnitentium, ut non modo de præteritis doleant, ſed etiam poſſint a futuris diligentius cavere.

Modus Pœnitentiæ adminiſtrandæ.

Confirmamus autem omnia in Synodis præcedentibus præſcripta circa adminiſtrationis modum, nempe ut Sacerdos nonniſi Deo ipſe reconciliatus, vel Pœnitentia, ſi opus ſit, vel ſaltem Contritionis actu, ceteros audiat pœnitentes. Non audiantur Confeſſiones Mulierum extra Eccleſiam, neque ante lucidam Auroram, nec poſt Solis occaſum, & hoc ſemper in Confeſſionali ſede, cratibus ferreis, non ligneis utrinque feneſtrata. In Eccleſia Superpelliceo, & Stola violacea induti miniſtrent; extra Eccleſiam hominibus, vel infirmis, ſaltem cum ſtola, niſi in neceſſitatis caſibus. Caute ſe habeant in interrogationibus, & admonitionibus, præſertim cum de carnis materia agitur, ne malitiam corripiendo doceant, vel neceſſaria Sacramentalis cognitio in turpiloquium commutetur. Ne feſtinent concurſus cauſa plures audire; tutius enim erit pleroſque non confeſſos, quam male confeſſos dimittere. Antequam abſolvant, certo ſciant, pœnitentes explicite credenda callere; dubitationem interrogando ſuſtollant; ignaros vel inſtruant ſi fieri poteſt, vel inabſolutos dimittant. Nihil omnino ſumant directe, vel indirecte pretii, vel muneris Confeſſionis cauſa quocumque prætextu. Caute ſe habeant abſolutione negata, ut non cognoſci modo, ſed ne ſuſpicari quidem id circumſtantibus liceat. A Reſervatis, niſi impetrata facultate, non abſolvant. Horum tabella ad hujus Synodi calcem poſita, pendeat patenter in quavis Confeſſionali ſede. Nulla erit Abſolutio conceſſa Pœnitenti, etiam reſervationis inſcio, omni juriſdictione in hac parte ſublata. Qui abſolverint, mortalis culpæ rei fient, & ſi in externo foro conſtet, Juris ſententia puniendi.

Modus reſtitutionum.

Reſtitutiones manu Confeſſariorum, vel iis, ad quos ſpectant, exacte fiant, omni excluſa pactione, aut præmii ſpe, aut perſonæ reddentis indicio: vel ſi fieri Dominis nequeant, in uſus pios, non ipſorum arbitrio, ſed omnino conſulto Epiſcopo, erogentur ad ſpirituale bonum ignotorum Dominorum. Sibi Sacerdos ne teruncium quidem ſub furti pœna exinde proprio arbitrio reſervet.

Qui poſſint Confeſſiones audire.

Confeſſiones a Parochis, Cappellanis, & Sacerdotibus, tum Secularibus, tum Regularibus per Noſtras patentes Literas, vel oretenus approbatis excipiantur. In extremæ neceſſitatis caſibus omni Sacerdoti id liceat, qui tunc interpretative a Nobis Juriſdictionem accipiet, ne hoc deſtitutus vitæ graviſſimo auxilio, fidelis quiſpiam decedat. In Confeſſariis integritas, prudentia, ſcientia, dignitas emineat. Virtutibus ejuſmodi fulgere debent,

Digitized by Google

ſent, quibus uſus clavium Regni Cœlorum concreditur. Admonemus Confeſſarios omnes a Nobis probatos non licere eis Confeſſiones in Eccleſiis, vel Oratoriis quibuſcumque excipere, niſi de Parochi, cui ſubjectæ ſunt, beneplacito.

Infirmos Parochus paterna viſitet charitate, iiſque Sacramentalis Confeſſionis neceſſitatem inſinuet, antequam ægritudo prævaleat, apte ſpiritales inde provenientes utilitates proponens, docenſque abſque mortis timore, melius charitatem ſervere. Infirmo ab alio probato Sacerdote Sacramentaliter audiri petenti, Confeſſio non negetur: ſed de hoc certus ſit Parochus, antequam cetera illi Sacramenta miniſtret. Hortamur Medicos, domeſticos, & infirmis adſtantes, ne forte inſtante periculo ipſos vana ſpe lactari ſinant in re tam gravis momenti. Omni humano reſpectu depoſito ſuavioribus, & efficacibus modis eos periculi commoneant. Non benevolentiæ, ſed ſummæ crudelitatis indicium importuna hæc eſſet pietas diſſimulandi, qua præceps agi poſſunt in barathrum, qui a nobis amari dicuntur. Sed, reliquis deficientibus, invigilet Parochus, cui ovis ſuæ eſt ſalus præ ceteris procuranda. *De Confeſſionibus infirmorum.*

Mulieres nonniſi decumbentes domi audiantur. Si infirmitas decubitum non exigat, domi quoque quidpiam interponatur inter ipſam, & Sacerdotem. Ætas, morbi circumſtantiæ non obſiſtant. Lex nempe ad ſingularia non reſpicit. Sancte agantur omnia, ne dum alios ſolvimus, noſmetipſos Diaboli laqueis implicemus. *Mulierum.*

CAPUT VII.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

QUamquam in Synodis Gabrielli, & Mazzocca decreta ſint omnia ad hujus Sacramenti adminiſtrationem, qua adverſus Dæmonis ferociores inſidias in terribili agone, a quo æternitas pendet, homo munitur, & reliquiis peccatorum conſumptis, quandoque etiam, ſi animi ſanitati expediat, a corporali morbo levatur; ea tamen revocamus in memoriam, præcipientes exacte ſervari.

Parochi itaque, quorum munus eſt providere, ne quiſpiam hoc deſtitutus præſidio, ex mortali vita diſcedat, viſitent, ut præfatum eſt, graviter ægrotos, & ipſos accurate, & charitative diſponant ad Viaticum, & Pœnitentiam. Prævalente porro morbo, Extremam Unctionem non differant ad ultimum vitæ articulum conferre, cum ſenſuum uſus expers homo, vix intel- *Parochi infirmos ad Extremam Unctionem diſponant.*

ligit, & fortaſſe vix ejus ſuſcipit effectum, ſed eam integro, quantum fieri poteſt, mentis homini tradant; expoſita primum ejus utilitate, & vano, quo premuntur aliqui, terrore deſtructo, eam eſſe certum inſtantis Mortis indicium. Extrema nempe dicitur, non quod ad ultimum vitæ momentum ſervetur, ſed quia poſt cetera Sacramenta traditur. Bono eſſe animo hortetur, & mentem ad cœleſtia elevare. Mortem, non ut pœnam, ſed ut Dei adipiſcendi viam a juſtis excipi: Piis, ferventibuſque Jaculatoriis opem illi ad Actus Theologalium Virtutum præſtet: tum Superpelliceo, & Stola violacea indutus juxta formam præſcriptam in Rituali, miniſtret: Verba unctionibus plane reſpondeant. Goſſypium, quo derguntur, ſervet, & ſecum referat Parochus comburendum domi, & cineres in Sacrario projiciantur.

Quibus non impertienda. Extrema Unctio pueris ante rationis uſum, mulieribus in partu laborantibus, niſi alius ſuperveniat morbus, non impertiatur. Pariter non detur amentibus, & phreneticis, niſi tanta ſint lucida quietis intervalla, ut irreverentiæ non exponatur.

SS. Oleorum vaſa. Sanctorum Chriſmatis, & Olei Infirmorum vaſa argentea ſint, vel ſaltem argento copioſe obducta. Serventur in capſula ornata, clavi concluſa in Eccleſia a cornu Euangelii cum Epigraphe exteriore: *Oleum Sanctum*. Parochi illud, niſi in neceſſitatis caſu, domi non ſervent.

Quia vero in Diœceſis Noſtræ Parochiis domus ſunt frequenter diu ab Eccleſia diſſitæ, confirmamus, quod conceſſum eſt in Synodo Gabrielli, nempe Sacerdotem Viaticum deferentem, ſimul S. Oleum in decenti burſa e collo pendente deferre, ut utrumque Sacramentum ſucceſſive miniſtret. Quod non labori fugiendo, ſed ſolum veræ neceſſitati conceſſum Sacerdotes intelligant, quibus crimen erit proculdubio in tanti momenti re deſidiæ dare locum. (Quomodo deferenda.)

Renovamus ejuſdem Synodi Decretum præcipiens in qualibet Parœcia nonnullas Chriſti e Cruce pendentis imagines ſervari, & vaſa aquæ benedictæ deferenda, & relinquenda infirmis anguſtioris fortunæ, ut in agone poſſint lachrymoſum intuitum ad Crucifixum Chriſtum convertere, & conſolari, atque a circumſtantibus aqua aſpergi adverſus Diabolicas illuſiones. Hæc, homine ſive convaleſcente, ſive vita functo, referantur ad Eccleſiam. Piiſſima hæc conſuetudo, ſicubi forte intermiſſa eſt, omnino renovetur. (Chriſti imagines infirmis ad conſolationem deferendæ.)

Vigilantia Parochi in tranſitu animæ. Poſt Extremam Unctionem diligentiſſime vigilet Parochus, ne periclitantem animam deſerat, ſed a Leone tunc ira magna furente defendat. Diu ibi ſiſtat, & a domeſticis exigat, ut ad tran-

tranſitum, hora quacumque, ſi forte abſit, advocetur, ut Deo ejus poſſit ſpiritum commendare, & confirmare in illa hora: quod commendationis Officium ſit, quod in Rituali Romano præſcribitur, nihil addito vel detracto. Conceduntur ſolum, imo laudantur piiſſimæ quædam jaculatoriæ, & ſuggeſtiones, quibus morientis animus in Deum erigatur. Certi ſumus neminem Parochorum adeo fore crudelem, ut ſuapte culpa patiatur animam deſeri, tunc univerſarum ejus ſolicitudinum fructum reportaturum. Ceterum, quoniam vel ex longinquitate viæ, vel aliis ex cauſis, fieri poteſt, Parochum morienti non adeſſe, doceat domeſticorum quempiam pios actus infirmo ſuggerere, præſertim Sanctiſſima Chriſti, Mariæ, Joſeph Nomina invocare, & aqua benedicta tentationibus laborantem aſpergere. Magnam utique mercedem tum Sacerdotibus, tum Laicis, id juſtitiæ, & charitatis opus ſedulo præſtantibus, Dei Omnipotentis nomine ſpondemus. Pariter confirmamus, & inſtitui cupimus piam conſuetudinem admonendi populum campanæ ſonitu, de cujuſvis Chriſtiani agone, & audientes ipſum Oratione proſequantur, cui pietatis actui ſummas Indulgentias Romani Pontifices conceſſerunt.

Sacramentum Extremæ Unctionis in eadem infirmitate non reiteratur, quantumvis diuturna. Secus vero ſi convaleſcat, & recidat æger. Circa quod Parochi Rubricas conſulant, & ipſarum expoſitores.

Circa vero Sanctorum Oleorum Conſecrationem, quæ fit ſolemniter ab Epiſcopo in Cœna Domini, dolentes vehementer Sacerdotum, & Miniſtrorum numerum ad id ex Rubricis præſcriptum in Cathedrali deſiderari, confirmamus, atque exequi omnino volumus, quod tum Decretis Prædeceſſorum Noſtrorum, tum laudabili more ſtatutum eſt, ex qualibet Parœcia, ſeu Cura, Sacerdotem unum in Civitatem mitti, ut injuncto ſibi poſſit fungi Miniſterio, & Sacra Chriſmata recipere ac reverenter deferre. Qui neque intererunt, neque alterum ſuo loco mittent, eidem, quæ in Synodo Mazzocca præſcripta eſt, Canonicæ pœnæ ſit ſubjectus. Neque grave ſit ipſis ei incommoditati ſubjici, quæ tanto rependitur decore, ut ipſorum halitibus, & adorationibus Spiritus gratia in oleo lætitiæ diffundatur. De Conſecratione SS. Oleorum.

CAPUT VIII.

De Sacramento Ordinis.

NEmo ſibi ſumat honoris portionem a Deo ſervatam iis, qui vocati ſunt tamquam Aaron, & Sacerdotii Jeſu Chriſti participes effecti, ejus miſericordiarum mediatores ad homines fiunt; qui ad hoc propterea ſpeciali Divina invitantur vocatione. Hoc eſt oſtium, per quod ſi quis in Eccleſiaſticum Ordinem intrat, ſalvabitur; qui vero aſcendunt aliunde, vel ſordidæ cupiditatis, vel vanitatis, vel humanis aliis cauſis deducti, fures ſunt, & latrones. Sed quia Noſtrum eſt Cooperatores in Miniſterium Domini Nobis adſciſcere, quibus gratia Spiritus Sancti, manuum Noſtrarum impoſitione, conferatur; quod ut ne cito, ſed ut multa maturitate, & diligentia præſtemus, Paulus monet; hinc imitantes zelum Prædeceſſorum Noſtrorum, primo hortamur Juvenes, qui ſe ad Eccleſiaſticam militiam vocari ſperant, ipſorumque curam gerentes, ut eos cito præſentent, jugum Domini ab adoleſcentia portaturos, quo locus ſit Nobis, & Præceptoribus ſolidi experimenti de capacitate, vocatione, & moribus, capiendi, vel Noſtra etiam inſtitutione formandi, cum ſcriptum ſit, Adoleſcentes juxta viam ſuam, etiam cum ſenuerint, non eſſe ab illa receſſuros.

Tempus habitus Clericalis ſuſcipiendi.

Qui ab Ordinationibus excluſi.

Nemo niſi Noſtra, aut Vicarii Generalis facultate in ſcriptis Habitum Clericalem aſſumat, Veſtes, & inſignia. Quoniam vero Divina largiente gratia, opportunitati Præceptorum in Noſtra hac Civitate, Bulleiſque conſultum eſt; hortamur Clericos omnes, ut ad ipſos accedere non negligant. Tanto ſcilicet cum unoquoque ad gratias proniores erimus, quanto Nobis de ipſorum cum idoneitate, tum vocatione ad Eccleſiam teſtes eſſe licebit.

Clerici Vicario Generali ſubjecti.

Clerici omnes Vicario Noſtro Generali ſubjecti ſint, tum Ordinaria ſui gradus auctoritate, tum ſpeciali Noſtra delegatione; quare ab ipſo facultates omnes ſibi neceſſarias impetrent, illi omnino pareant, & de quæſitis rationem reddant. Qui defecerint, ſi in Sacris ſint, ad Ordines Majores non aſcendant, ſi in Minoribus, coercebuntur, vel etiam pro tranſgreſſionis modo excludentur.

Requiſita pro Ordinandis.

Ad primam Tonſuram accedant, ut in Tridentino præcipitur, & in Synodo Mazzocca ordinatur, exacte in Lectione, ſcriptione, & Chriſtiana doctrina inſtructi. Teſtimoniales Parochorum exhibeant, Legitimorum Natalium, Confirmationis, recti

Digitized by Google

recti moris, frequentiæ Sacramentorum. A Magiſtris etiam ſperatæ ſaltem habilitatis teſtimonium obtineant. Qui ad Minores, præter Præceptorum de ſtudiis opere collato Literas, atteſtationes etiam impetrent a Parochis de moribus, de ſervitio Eccleſiæ præſtito, præſertim Æſtivo vacationum tempore, de delata Tonſura, & Religioſo Habitu: Literas inſuper Teſtimoniales habeant antecedenter ſuſcepti Ordinis, cum reliquis in noſtra Curia exhibendas.

Ad Majores Ordines promovendi cogitent ſerio, quid ſibi ſumant, & quale onus coram Deo, Angelis, & Hominibus. Emineant pietate, & doctrina, quas nos ſtudioſe in ipſis inveſtigabimus. Parochi caveant, ne quidpiam humano affectui indulgeant, Teſtimoniales ipſis concedentes Literas. Si quæ ſint a Nobis cognoſcenda, oramus, ut Nos ſecreto ſaltem faciant eorum certiores.

Ad Subdiaconatum promovendi, præter ſupradicta requiſita, ſint Latinarum Literarum, & Philoſophiæ periti. Cantum etiam Eccleſiaſticum cognoſcant, & quæ ad ſuum Ordinem ſpectant. Horum nos experimenta ſumemus. Ob Beneficiorum in Diœceſi Noſtra inopiam, Clericos aliquos, ubi opus fuerit, Patrimonii titulo admittemus, Legibus a Prædeceſſoribus noſtris ſancitis, ne ſcilicet fictum ſit, nec minoris quam 30. ducatorum annuatim æſtimandum, omnibus detractis oneribus; ut tribus Feſtis diebus ſit in Parœcia publicatum, & ut voce præconis Bona ipſum conſtituentia annuncientur libera ab Fideicommiſſis, Hypothecis &c., ut denique juramento conſtituentis conſtet de libertate, & fructu taxato, peritorum pariter juratorum judicio. Hæc in authenticas ſcripturas redacta Curiæ ad cognoſcendum ſiſtantur. Hujus vero Patrimonii pacificæ poſſeſſionis, publicarumque trinarum denunciationum teſtimonia promovendi quoque ad reliquos Majores Ordines deferant. Nunquam, ſub Suſpenſionis ipſo facto incurrendæ pœna, alienari, vendi, diſtrahi, aut oppignorari Patrimonium poſſit, niſi congruo adepto Beneficio, & Epiſcopi implorata facultate.

Ad Diaconatum, & Sacerdotium promovendi Theologiæ Moralis, atque Dogmaticæ ſtudiis ſint initiati. Hujus Nos diligentiſſime ab ipſis experimenta conquiremus.

Diſpoſitiones in Ordinandis.

Ante Sacram Ordinationem per decem dies, ſub ſpeciali idonei alicujus Sacerdotis directione, Spiritualibus Exercitiis dent Operam ad Sacros Ordines promovendi: hujuſque a Concilio Tridentino præceptæ præparationis teſtimonium in Noſtra Curia exhibeant. Nemo ad Majores Ordines promoveatur, qui juxta SS. Canonum præſcripta, non ſeſe publice in Sacris In-

ferioribus exercuerit. Quare oramus Canonicos, & Parochos, ut in ſolemnibus Miſſis ipſorum operam admittant, ad quam neceſſario Rubricarum ſtudio inſtructi accedant omnino, ne indecorum quidpiam appareat in Divinorum Myſteriorum Miniſterio. Miſſas Presbyteri novi non celebrent, niſi in Cæremoniis egregie edocti, & a Nobis facultate impetrata. Eadem lege Diaconi Sacerdoti in ſolemni Miſſa miniſtrent. Sciant Clerici omnes, demeriti penes Nos loco ſibi eſſe futura moleſta ab iis interpoſita officia, ut promoveantur, vel diſpenſentur, vel ſibi modo quovis faciliorem viam ſternant ad Sacerdotium. Probitate, doctrina, Eccleſiaſtici ſervitii aſſiduitate, virtute id conſequentur, ut pro Eccleſiæ utilitate in ipſos Beneficia omnia impertiamur; reliquis, ſi forte adhibeantur, vocibus obſtructas aures Noſtras fore ſpondemus. Ordinati per Dimiſſoriales Literas Noſtras in aliena Diœceſi infra duorum Menſium ſpatium Teſtimoniales recepti Ordinis in Curia præſentent, ut in Libris deſcribantur. Qui neglexerint, protrahent iter ſibi ad gradus Majores. Vivant, ſentiant, agant, ut decet Miniſtros Chriſti, & Diſpenſatores Myſteriorum Dei præcipientis: *Sancti eſtote, quoniam ego Sanctus ſum.*

C A P U T IX.

De Sacramento Matrimonii.

SAcramentum hoc magnum eſt, teſte Apoſtolo, in Chriſto, & Eccleſia, ſi juxta Divinas Leges, Eccleſiaſticaſque ſanctiones fiat; his ſcilicet omiſſis, Sacramenti indolem, & nomen amittit. Conjunctio hæc ab initio a Deo ad præcipuum naturæ opus inſeparabiliter inſtituta, poſt autem in novo fœdere renatis in Chriſto ad tam excelſum ordinem evecta, non modo omnium eſt ſpiritalium Chariſmatum origo, quæ conceduntur multiplicantibus populum Sanctorum, verum etiam temporalis felicitatis. Eſt nempe ex recte ordinatis connubiis profluens familiarum quies, & mutuus hominum Amor, unde officia inter conſanguineos, & cognatos vicaria ſervantur; atque optima Chriſtiana, & ſocialis educatio: unde fiunt homines Deo per juſtitiam chari, ſubditi fideles, utiles Cives.

Parochi doceant populum circa Matrimonium.

Exponant itaque Paſtores tam gravis contractus nobilitatem, & jura, populis ſibi creditis, ut immaculatum ſervent thorum, ne cogitationum quidem labe fœdatum, diligant ſe invicem, & in communibus natis ſancte educatis benedictionem fecunditatis in ſalutem venerentur. Doceant Matrimonio jungi cupientes

tes tantæ ſponſionis onera, ne vana concupiſcentia abrepti carnis ſolum deſideria in nuptiis conquirant implenda, vel cupiditatis aut vanitatis incitamenta in delectu ſequantur, ſed a Deo Sancti connubii gratiam expoſtulent, & vaſa ſua in ſanctificationem, non in ignominiam poſſideant. Nec rerum earum ignaros admittant, ſed partim per ſe, partim, quod decentius eſt, Genitorum ore inſtrui curent contracturos. Nos confirmantes, quæ ſunt Eccleſiaſtico Jure diſpoſita, & a Prædeceſſoribus Noſtris ordinata, primo decernimus: Neminem admitti ad Matrimonium ratum ante pubertatis annos exactos, etiamſi ſponſio primum facta a parentibus fuerit. Gravem Omnipotentis iram comminamur cogentibus, metu terrentibus, vel alia quavis ſeductione, & fallacia inducentibus juvenes ad Matrimonium, unde tot lapſuum, & ſcandalorum origo conſurgit, & frequentes adeo, deplorabileſque connubiorum nullitates.

Ætas, & libertas in nuptiali fœdere.

Diſpenſationem ſuper Impedimento quovis ad Matrimonium petentes caveant, ne falſum in petitionibus exponant. Hæc enim artibus malis impetrata nihil efficiet, quominus apud Deum falli neſcium, ſecretorum ſcrutatorem, æque rei ſint, & nullitati Sacramentum ſubjecerint, atque ſi minime petiiſſent. Intenſior impediatur inter ſponſos Familiaritas, donec in faciem Eccleſiæ nuptias egerint. Sub eodem tecto morari, Sponſi ſciant vetitum omnino eſſe Sacris Legibus, donec per verba de præſenti contrahant. Et permittentes fieri non abſolvantur. Quare ad præcavenda ex diuturna nuptiarum dilatione inter Sponſos, tum carnis illecebrarum, tum moleſtiarum, & diſſidiorum ſæpe urgentium pericula, curent Parochi Sponſos præſertim populares non ultra Menſes duos, vel circum a Sponſalibus nuptias differre.

Diſpenſationes legitime petendæ.

Trina Denunciatio ad Concilii Tridentini formam Feſtis omnino diebus inter Miſſarum Solemnia, non alio tempore fiat. Duo ſi decurrant ab extrema Denunciatione menſes, non expletis nuptiis, reiterentur. In utraque Parœcia fiant Denunciationes pariter, ſi ex varia Parœcia ſint Sponſi. Si utrique a Parœcia, in qua diu commorati fuerint, non multo abſceſſerint, etiam in ea Parœcia, in qua diu traxerunt vitam, Populo nupturi denuncientur. Qui, ſive Vir, ſive Mulier ex aliena Diœceſi contrahere voluerit Matrimonium, Teſtimoniales ſervati liberi ſtatus ex locis omnibus, in quibus commoratus fuerit in Noſtra Cancellaria exhibeat pro more. Nullus conjungat Parochus, niſi impetrata a Nobis Licentia, commonens de Denunciationibus factis, nemine contradicente, ut ex Actis Curiæ Noſtræ pariter ſibi conſtet nihil impedimento eſſe quin contrahant.

Trina denunciatio quomodo facienda.

Si

Digitized by Google

Diſpenſationes a denunciationibus. Si juſta ſit, vel unius, vel plurium Denunciationum omittendarum cauſa, ea expoſita, id a Nobis impetret Parochus ab Obreptione, & Subreptione cavens diligenter; Nos nempe ipſorum fidei diſpenſationem credemus. Nemo hanc impetret, niſi duorum ſaltem *Teſtium in* Curia examinatorum judicio conſtet liberos *eſſe* contracturos.

Sponſi a Parocho inſtruendi, & examinandi. Ante Denunciationes diligenter interrogentur a Parocho de ætate, neceſſariis ad Fidem, Paſchali Communione, de Cognationibus, Affinitatibus, præſertim ſpiritualibus, Votis, aliiſque impedientibus, vel dirimentibus, prudenterque perveſtiget, num metu, vi, ſeductione, vel aliis pravis artibus ad Nuptias ſint deducti, vel fallaciis aliis, ante ipſorum proponens oculos culpæ gravitatem, & Divinæ iræ vindictam ita doloſe huic Sacramento ſe ſiſtentes. His recte compoſitis ad denunciationes procedat. Non conjungantur niſi ſaltem poſt unum integrum a tertia Denunciatione diem, quod in Synodo Mazzocca decretum eſt, ut ſit delationi impedimentorum locus. Moneatur Populus teneri quemlibet, ſi quid inter ſponſos impedimenti noverit intercedere, ad deferendum, non nocendi animo, ſed ne nullitati *Sacramentum exponatur*; etiamſi nihil ſit rei inter deferentem, & *Sponſos* commune; poſſe id autem ad odium præcavendum ſecreto, vel Parocho ipſi, vel per Confeſſarium Nobis exponi. Si quid impedimenti fuerit ad Nos deferant, ut in Domino conſulere poſſimus.

Qui Parochus nuptias benedicere debeat. His itaque conſtitutis nuptiæ excipiantur, & benedicantur a Parocho proprio, duobus ſaltem idoneis Teſtibus Maſculis ſupra pubertatem præſentibus. Parochus proprius eſt, in cujus Parœciæ finibus Domicilium verum contrahentes habent. Quamquam vero ad Matrimonii validitatem alteruter Parochorum ſit ſatis: tamen antiquiſſimæ Diœceſeos conſuetudini faventes confirmamus ſtatutum Synodi Mazzocca, nempe Parochum Sponſæ eſſe adminiſtrum hujus Sacramenti, nec licere Parocho Sponſi Nuptias, niſi illo concedente, benedicere. Caſus excipiantur, in quibus a Nobis, vel Vicario Noſtro Generali aliter judicetur. Parochus Sponſi, alio non conſentiente, nuptias benedicens Eleemoſynas reddere alteri teneatur ſponte etiam oblatas, ut cuique ſua jura præſerventur.

Sacerdotum nemo nuptias, Parocho proprio non concedente, audeat benedicere ſub Suſpenſionis pœna. Sic benedictæ irritæ ſunt omnino, ex Tridentini ſanctione.

De Contrahentibus ſine proprio Si qui (quod abſit) ante Eccleſiæ conceſſionem, Trinaſque Denunciationes coram Parocho ſubreptim capto, & teſtibus Matrimonio conjungi auſi fuerint, ut Eccleſiaſticæ Legis infractores,

res, Auctoritate Eccleſiaſtica ſeparentur, & Civilis ad juſtam animadverſionem Auctoritas imploretur, ut nemo capiat fructum propriæ iniquitatis, nec reconcilientur, donec ſpirituali pœna exacte ſatisfecerint contemptæ Eccleſiæ Dei. Parocho & Teſtibus.

Parochus Matrimonio conjungens cum impedimenti non ſublati notitia, vel abſque a Nobis impetrata facultate, & Denunciationibus, requiſitiſque aliis neglectis, Canonicas pœnas, juxta tranſgreſſionis modos ſubibit. Pœnæ in Parochos arbitrarie conjungentes.

Nuptiæ ſolemnes celebrentur temporibus ab Eccleſia præſcriptis. Quum prohibitis diebus urget Matrimonii contrahendi cauſa, Noſtra, vel Vicarii Generalis facultate, aſſenſui contrahentium adſtet Parochus; benedictionem in conceſſum tempus differat. Modus in Rituali Romano præſcriptus, nulla re adjecta, vel detracta violetur. Confeſſione, & Communione reficiantur Sponſi, ut gratia Sacramenti digni fiant. Benedictio in Sacris Ritibus præſcripta, quantum fieri poteſt, carnalem corporum conjunctionem præcedat. Moneantur a Parocho, ut animis jungi primum diſcant in charitate, & vacent Orationi.

Improbamus, & damnamus omnino abuſum Matrimonia contrahendi ſive Domi, ſive poſt occaſum ſolis etiam in Eccleſia, quod nunquam fieri poteſt, niſi ex Noſtra Licentia gravibus ſolum ex cauſis concedenda. Quum vero cognoverimus haud levem ſuperſtitionem ex Maleficiorum timoribus huic abuſui locum dare, quam a dilecto Nobis Populo ut ridiculam, & vanam cupimus eliminari: ideo, reſervato Nobis aliter quandoque diſponendi jure, præcipimus contractus Matrimoniales, ſi Veſpere fiant, omnino ante Solis Occaſum expleri, prohibentes Parochis poſt *Ave Maria* ſerotinæ ſonitum illis adſtare: quod præter Canonica jura, Legibus etiam publicis ſancitum eſt, nempe nullum noctu in Eccleſiis ritum, extra præſcripta, celebrari oportere. Matrimonia noctu prohibita.

Sed nitantur Parochi perſuadere Populo Matrimonii contrahendi mane ante Miſſam tempus opportunum, oſtendentes lucem odio haberi ab iis, qui tenebras ambiunt, & nocturnis hiſce veluti occultis contractibus perturbari, & miſceri honeſtarum puellarum famam cum iis, quæ noctis egent præſidio, ut contegantur. In Matrimoniis, ubi ambo, vel Mulier ſola Vidua ſit, ex Ritualis præſcripto, nuptialis non detur Benedictio, ſecus ſi Virgo ſit Sponſa, licet Viduus Vir. Mane opportunius fiant.

Erit in Curia Noſtra Regeſtum Impedimentorum exhibitorum: quæ ſi perpetua ſint, atque licuerit, diſpenſatione obtenta, ſanabuntur: ſi vero temporalia, ut Contradictiones ex allegatione promiſſionis antecedentis, &c. ſi parti intimata non fuerint, De contradictionibus, quæ matri-

uno

moniis ap- ponuntur. uno Anno noceant: ſin contra, ad duos Menſes, quo exacto tempore, niſi a parte contradicente renoventur, pro ſublatis habebuntur, & ad Matrimonium ſervatis ſervandis procedetur.

Matrimonia exacte deſcribantur. Omnem diligentiam adhibeant Parochi, ut in Libro ſpeciali deſcribant Matrimonia celebrata cum omnibus circumſtantiis loci, temporis, nominum, agnominum, prænominum Genitorum, Contrahentium, Teſtium, &c. ut omnis tollatur futuris temporibus æquivocatio, recolentes publicam Civium in re tanti momenti fidem, unde omnes etiam graviores politicæ derivationes proficiſcuntur, illis eſſe commendatam.

Conjugati ſimul vivant. Non permittant Conjugatos a connubiali convictu disjunctos diu vivere, niſi id ex mutuo conſenſu, legitima cauſa, & ſine ſcandalo contingat. Moneant tranſgreſſores; de perſeverantibus certiores Nos reddant, iiſque ita disjunctis ſuffragium abſolutionis negent, ne novo Satanæ vinculo animæ ipſorum colligentur.

Infantes ante annum in lecto cum Matre non jaceant, vel Nutrice. Moneant pariter Puerperas abſtinere a detentione infantium in lecto; donec anno expleto, ſubtrahatur ſuffocationis diſcrimen. Quod Nos crudelitatis adverſus innocentes infandum Crimen Nobis reſervamus abſolvendum.

Decentia domeſtica a conjugatis ſervetur. Urgeant pariter adverſus Conjugatorum impudentiam, qui filios jam grandiuſculos in eodem, quo ipſi jacent lectulo, jacere patiuntur, nimia ſæpe innocentiæ ipſorum jactura. Novit enim Satan depravandi innocentium cordis vias, quas humana parentum charitas non præcludat. Maſculos ſeptennes a feminis omnino dividant, nec a Confeſſariis excuſatio neceſſitatis admittatur. Præſtaret enim ipſos humi jacere, & ſub dio, quam tanto periculo exponi. Qui in Domino Uxores ducunt, vel quæ nubunt, hoc in animo habeant, ſe Cives Sanctorum, & Domeſticos Dei propria pietate, ſanctitate, educatione, præceptis, exemplis eſſe procreaturos, & formaturos. Sin minus, præſtitiſſet abſtinere, nec Satanæ tradendos in interitum filios genuiſſe.

Decretum. De Tertia Seſſione.

SYnodi Noſtræ Æmonienſis, Deo opem ferente, laudabilem finem imminere videmus. Quapropter pro craſtina die mane hora duodecima ultimam Seſſionem, & gratias Deo Optimo Maximo publice agendas indicimus.

SES-

Digitized by Google

SESSIO TERTIA.

CAPUT I.

De Vita, & Honeſtate Clericorum.

ÆMulari Cœleſtem perfectionem Servator Noſter omnibus Fidelibus in vitam æternam nitentibus præcipit, ut ſcilicet juſtitiam, pietatem, Religionem integre cuſtodiant; ſed hoc Sacerdotibus potiſſimum præcipi conſtat, qui mittuntur ab ipſo, ſicut miſſus ille eſt a Patre, & quibus ſub veteris Sacerdotii figura dictum eſt: *Eſtote mihi Sancti, quia Sanctus ſum, ego Dominus, & ſeparavi vos a ceteris populis, ut eſſetis mei*. Segregamur utique a Plebe, & munus Deo ſpecialiter ſumus, ut diviſam pariter a Populo vivendi regulam teneamus. Quapropter lumen Mundi, atque Sal terræ dicti ſumus, non ut virtutis noſtræ lux ſub modio deliteſcat, ſed ſit ſuper Candelabrum, & lumen ex nobis videant, qui ingrediuntur Domum Domini; & ut juſtitiæ ſapore a nobis plebs Chriſti condiatur; caveamus ne ipſi, non malis operibus modo infatuemur, ſed etiam a ſuſpicione, & omni ſpecie mali, juxta Pauli documentum, abſtineamus.

Quapropter teneant in Sacros Ordines cooptati, & in ſortem Domini electi Sacrorum Canonum, Patrum, Conciliorum, & Noſtrorum Prædeceſſorum monita & præcepta, & per ſemitas antiquas ac bonas incedant, recedentes a corrupto Carnis, & Seculi itinere, ut velut Aſtra fulgeant properantibus ad Patriam ex hac peregrinatione mortali. Hæc etiam, quæ charitate Chriſti urgente, atque Eccleſiaſticæ Sanctitatis ſtudio ad Clericalis diſciplinæ tutelam proponimus, juxta ſui Ordinis reverentiam, & promiſſæ Epiſcopis in ſacra manuum impoſitione obedientiæ debitum fideliter impleant ad ſalutem.

In habitu Clericali diu, noctuque incedant. Talari veſte induti Presbyteri celebraturi accedant ad *Sacriſtias*. Feſtis diebus in Urbe potiſſimum, & Terris talarem habitum uſque ad expleta Divina officia deferant. In Villis vero, & Pagis breviores veſtes extra Eccleſiam permittuntur, modo commoditatem præferant, non vanitatem. Licet enim nullum ſit hominis ex Veſte judicium, neceſſe tamen eſt Clericos per extrinſeci habitus decentiam, morum interiorem honeſtatem oſtendere, & quem- Clericorum Veſtes.

admodum in converſando, ita & in apparatu exteriore modeſtos eſſe.

Veſtium color, cultus modeſtia.

Coloratas veſtes præter nigras, vel in itineribus ſubobſcuras, Eccleſiaſtici Diœceſis Noſtræ deferre interdicuntur. Nihil in ipſis ſuperfluitatis, vanitatis, aut ſuperbiæ notetur: nihil etiam quod abjectam negligentiam, aut affectatas ſordes deſignet. Comæ capillorum ſtudioſe calamiſtratæ non ſint, vel odoratis pulveribus, aut unctionibus delibutæ, ſed decentes, atque in gravem formam compoſitæ. Emineat in capitibus Clericalis Tonſura, decuſque ſit cuique participanti Sacerdotium Chriſti, ſignum coronæ triumphi ejus fronte geſtare. Annulos non ferant, niſi quibus id eſt, vel ex Doctorali Laurea, vel ex Eccleſiaſtica Dignitate conceſſum. In Celebratione Miſſæ, cum pars privative ſit Sacrarum Veſtium Prælatis conceſſarum, ab omnibus omnino annulus deponatur. Horum omnium prævaricatores, debitis pœnis, ad Sacrorum Canonum præſcriptum, fore ſubjectos denunciamus.

Contubernia cum Mulieribus quomodo Clericis vetita.

Turpitudo, & immunditia omnis nec nominetur in Nobis, ſicut decet Sanctos; quod Deo perpetuo ſpopondimus, exacte cuſtodiamus. Sed quia theſaurum habemus iſtum in vaſis fictilibus; ideo cauti ſimus, ne illud miſera amittamus jactura. Quod facilius ex virtute Dei conſequemur, pericula fugientes; quare renovamus quod Decretum eſt a Prædeceſſoribus Noſtris, ne cui Clerico in Sacris conſtituto liceat cum Mulieribus contubernium habere, niſi in primo, aut ſecundo gradu conſanguineis, vel affinibus. Mulieres ad famulatum, vel quaſi famulatum a Clericis habitæ 40. annorum ætatem attingant, nec ætatis ſolum habeatur ratio, ſed probi nominis, & vitæ honeſtatis, & veræ in Clerico neceſſitatis. Si quæ circumſtantiæ aliter ſuadeant, Nobis, vel Vicario Generali exponantur.

Vilis converſatio Clericis indigna.

Domus, vel cubicula feminarum, fabulas aut jocos miſcendi cauſa, non adeant, earumque familiaritatem omnino refugiant. Exigit Sacerdotalis Ordinis Dignitas, ut quo ipſe ſiſtitur, ceſſent ſtatim, ob ejus reverentiam, turpes, leveſque fabulationes, & detractiones. Væ Sacerdotibus non modo hæc præſentia, aſpectu, voce, zelo non refrænantibus, ſed quandoque etiam promoventibus. Maxime eos pudeat inter vilia, & elevatis terræ Diis indigna cauponarum conventicula verſari, bibere, & inebriari, & cum Mulierculis, vilibuſque & pravi nominis hominibus familiares, & vanos miſcere ſermones. Vere qui ita eſſent, jumentis inſipientibus compararentur, & illis ſimiles fierent. Nos interea tanti dedecoris impatientes, ſi quod abſit, id unquam contingat, impune abire non feremus. Ebrioſos autem Clericos moni-

Digitized by Google

monitos, ab turpiſſima conſuetudine non recedentes omnino ab Sacrorum adminiſtratione arcebimus.

Larvatus nemo Clericorum audeat incedere. Choreis, & feſtivis nocturnis congreſſibus, & ſaltationibus, & Theatris hiſtrionicis, in quibus vanæ & impudicæ Fabulæ agantur, minime interſint. Decernimus eos, qui Saltatoriis congreſſibus, qui vere tales ſint, nempe quo puellis, mulieribus, viris non affinibus intervenientibus promiſcue ad agendas choreas eſt aditus, interfuerint, vel ſe ipſis immiſcuerint, niſi parvitate temporis, vel neceſſitate quapiam excuſentur, juxta Canonicas ſanctiones omnino eſſe puniendos, habita ſcandali, & circumſtantiarum ratione. Quod idem ſubdimus de iis, qui forte diu, vel noctu ad indecore vagandum per loca, & indecenter noctu inſtrumenta perſonantes, aut prophana cantantes incederent.

Larvæ & Choreæ Clericis vetitæ.

Canonicis itidem Sanctionibus aleæ, taxillorum, & alii ejuſmodi ludi Clericis interdicuntur, ad quos ſcilicet lucri ſpes, vel otioſæ diſtractionis cupido animos potiſſimum incitant, cum temporis, boni nominis, & animarum infelici jactura. Hæc pariter vetantur omnia juxta ea, quæ in ſuperioribus Diœceſanis Synodis ſunt ſancita. Tolerantur ludi honeſtæ, breviſque recreationis cauſa ſuſcepti, exiguo præmio propoſito, in privatis bene moratis Domibus, ſine ſcandalo, ſtrepitu, aut nimia ſollicitudine. Cujuſque generis ludus prohibitus ſit Clericis in publicis luſoriis officinis, vel matutino tempore, & horis ad ſeria negotia adhiberi ſolitis a probis Civibus, & præſertim Eccleſiaſticorum officiorum tempore. Quanto indulgentiores eſſe ad concedendum a curis animi levamen nitimur, tanto erimus proculdubio in refractariis coercendis ſeveriores.

Qui ludi Clericis vetiti.

Venationem idcirco Clericis omnino vetitam Patres docent, quod & animum trucem, & ſanguinis cupidum vel conſtituat, vel ſupponat adverſus lenitatem Spiritus tantopere nobis utilem, & quod ex eo corporali labore membris defeſſis vix, imo fere numquam animus ad Dei cultum, Divinorumque contemplationem poſſit aſſurgere. Neminem Venatorem in Divinis Literis Sanctum narrari Doctor Maximus Hieronymus notavit; quare merito a Sacris Canonibus improbatur, & arcetur a Clericis; quod Nos pariter confirmamus. Honeſtæ, neque propterea damnabilis venationis loco habebitur aucupium, ſive minuta venatio, neque periculis, neque ſtrepitibus obvia, dummodo debita ſervata moderatione ſumatur, nec Divinorum officiorum tempore, nec diebus Feſtis ante Eccleſiaſticum omnino expletum officium: atque patenter ad ipſam procedens Clericus collare, & Veſtium colorem ſervet. Nemo audeat arma cujuſcumque generis ferre,

Quæ item Venationes.

Digitized by Google

ſi parvi cultelli excipiantur ad uſus quotidianos, & fortaſſe Sclopus ad aucupium, numquam tamen in Urbe, Terris, aut Pagis. Clericorum Arma ſunt Orationes, & lachrymæ: iis muniti incedent contra veros animi hoſtes, fortiores.

Turpes & mercatorii quæſtus vetiti.

Caveant militantes Deo implicare ſe negotiis ſecularibus: itaque a ſordidis, turpibuſque contractibus abſtineant, nec illos vel cum Amicis, vel cum familiaribus diſponant. Non enim habitabit in Tabernaculo Domini, qui pecuniam ſuam dedit ad uſuram, qui jurat proximo, & decipit, qui munera accipit ſuper innocentem. Liceat porro Clericis præſto eſſe Propinquis auxilio, favore, conſilio, vel directione negotiorum, modo in ejuſmodi auxiliis charitas emineat, atque juſtitia. Væ illis, qui ex injuſtitia congregant, & iniquitate; nonne diſpergentur?

Opera manualia quomodo conceſſa.

Non improbamus opera manualia a Clericis honeſtæ exercitationis, & utilitatis cauſa adhibita, & ad otii malorum originis fugam. Sed cautum ſit ne tempus ſtudio, & orationi debitum terant, & Eccleſiæ ſervitio non exinde ſe ſubducant. Vilibus artificiis omnino non dent operam. Turpis venalitas abſit ab Sacerdotum opere, quorum eſt Animis ineffabiles divitias largiri. Quare vetitum Clericis ſit in Laico Judicio cauſam dicere, niſi pro ſemetipſis, ut Canonica Diſciplina jubemur.

Clerici Eccleſiæ ſerviant.

Omnes Clerici Eccleſiæ ſuæ ſervire tenentur, ſaltem Sanctitatis ſui gradus titulo. Hac quippe ratione, ne Eccleſiæ ſervitium deſit, quandoque Patrimonii titulus admittitur. Quare ſibi non profuturum in extremo judicii die ſciant Beneficii defectum, quod non ſervierint Eccleſiæ. Qui hac ratione commoti ut Beneficium lucrentur, ſerviunt, culpa ferme non carent. Omnes ergo excitamus diebus ſaltem Feſtis Eccleſiæ præſto eſſe. Nos quidem nonniſi in diligentes Beneficia conferemus; quin contra notabiliter deſides, tanquam in ſcandali Populo Chriſtiano illati Auctores, animadvertemus.

Qui libri a Clericis potiſſimum habendi & legendi.

Vanas Librorum lectiones effugiant, multo vero magis turpes, vel Eccleſiæ juribus vetitas. Recedunt hæc nimium a Sacerdotalis Sanctitatis Charactere. Scientiis dent operam, ſacris potiſſimum, ne ipſas repellentes repellantur a Domino, quin ſibi æterno fungantur Sacerdotio. Ideo penes ſe ſacra Biblia habeant, Concilium Tridentinum, Catechiſmum Romanum, alioſque utiles Libros. Honeſtæ recreationis cauſa rei Agricultoriæ, & Piſcatoriæ Scriptores non negligant, ut proximis poſſint conſilio juvare. Pars eſt hæc ſane Sacerdotalis Miniſterii, ignorantes docere non ſolum, quæ ad Animæ ſalutem juvant, ſed quæ etiam ex juſtis viis proximis fortunas concilient, ut ab injuſtis lucris abſtineant, ad quæ frequenter ex bonarum Artium ignoratione,

& iner-

Digitized by Google

& inertia animus populi meliorum neſcius excitatur. Graviſſimorum Sacerdotum exemplo, id ſciant probatum eſſe, qui otium ſuum in Populi temporalem utilitatem, non modo ſumptis in Agrorum cultu experimentis, ſed libris etiam laude plenis editis, convertere hac noſtra ætate non deſinunt.

Graviter improbamus Clericos Medicinam phyſicam affectare: cum Spirituum, non corporum ſit ipſis credita cura. Sed multo eſt damnabilius id, omnino ignoratis Artis præceptis, agere, & remedia etiam ore capienda, non conſultis Medicinæ Peritis exhibere. Itaque præter Eccleſiaſticarum, & Publicarum Legum infractionem, ſciant id audentes ſe periculo, & dubio Irregularitatis ſubjici, ſi quis, quod avertat Deus, exinde pereat. Verum, quia contingit perſæpe in campeſtribus locis homines repentinis captos morbis omni deſtitui ſubſidio ab Artis Peritis, & etiam Populi fiducia in proprii Sacerdotis Doctrina, & Charitate locata eſt, ideo ſumma laude dignos Sacerdotes, & Parochos judicamus, qui otii ſui partem in lectione alicujus facilioris Libri impendunt, unde ſalutaria quædam circa morbos conſilia, Medico omnino deficiente, ægrotis ſuis præbeant: ipſiſque *Tiſſoti* celeberrimi Medici notiſſimum, perutilemque Librum, qui inſcribitur: *Admonitio ad Populum circa propriam Sanitatem*, ad hoc potiſſimum ſcriptum, & in Italicam etiam linguam translatum proponimus, ita tamen ut Peritis, ſtatim ac fieri poſſit, ſua conſilia ſubjiciant, & ſolum neceſſitas animarum curatores etiam ad corporum ſanitatem reddat induſtres.

Medicinæ ſtudia Clericis inhibita.

Vehementer optamus Clericos, & Sacerdotes juniores præſertim in Illyricæ popularis linguæ peritia doctos eſſe, ut Dei verbo miniſtrando idonei fiant; ne unquam pauci, ac tenues Noſtrarum Eccleſiarum proventus Extraneis diſtribuere opus ſit, neceſſaria hac conditione in Noſtris deficiente. Noſtro quidem judicio Sermones Dominicales P. Philippi Occhievich, Quadrageſimales P. Pavetich, Inſtitutio Chriſtiana Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi D. D. Archiepiſcopi Tharſenſis, olim Juſtinopolitani Antiſtitis, Catechiſmus Romanus nuper in hanc linguam vernaculo ſtylo converſus, & Lexicon Ardelii, ſatis erunt, ut ejuſmodi lingua ad Sacros uſus familiaris fiat. Nos fortaſſe, Deo juvante, gravioris Doctrinæ Libros Illyricos quandoque ad Sacerdotum Illyricorum utilitatem edemus. Id quoque juvabit ad fugiendum otium omnis malitiæ Doctorem. Sanctiones pariter has noſtras typis editas in hac Diœceſi Noſtra omnes actu Clerici, vel impoſterum promovendi habebunt, cum æquum ſit oculis cujuſquam ſubjici Diſciplinæ modum, quem tenendum eſſe Sacerdotum Conſeſſus conſtituit.

Illyrica Lingua in noſtra Diœceſi Clericis utilis.

CA-

Digitized by Google

CAPUT II.

De Proceſſionibus.

Vetuſtiſſimum pœnitentiæ genus in Eccleſia Catholica ſupplicationes publicæ ſunt, quibus Populorum per vias incedentium humili, ac devoto clamore preces ad Deum aſcendunt, ut brevi peregrinatione Sacra deſiderium militantis Eccleſiæ ſignificetur, poſt mortalem corporis peregrinationem, ad eam requiem perveniendi, in qua exultant Sanctorum Cives, & Domeſtici Dei. Ceterum quanto harum ſanctiores ſunt origines, & ſignificationes, tanto deteſtabilior eſt abuſus, quum videlicet quæ incredibili pietate ab antiquis veluti virtutis omnis exercitationes, inſtitutæ ſunt, detorquentur in prophana ſpectacula, & in cauſa ſunt peccatorum & prævaricationum. Sunt itaque Paſtoralis Noſtri ſtudii partes, hæc ita componere, ut in animorum perniciem non cedat, quod in ſalutem eſt inſtitutum.

Proceſſionum ritus.

Itaque injungimus Parochis, ut ante Proceſſionem quamlibet, diſtincte doceant Populum Myſteria in ipſis ſignificata, & moneant graviter, modeſte, ordinatim incedere Populum; & Deum, Sanctoſque ejus pia celebritate venerari; mulieres a viris ſejunctas procedere, & omnes orare caſtigatis oculis, & lingua unice in Dei laudem effundente voces.

Proceſſiones ferialibus diebus non fiant.

Proceſſiones Litaniarum Majorum, Rogationum, & S. Marci Euangeliſtæ, & in Feſto Corporis Domini juxta univerſalis Eccleſiæ Ritum ſuis celebrentur diebus: & eæ itidem quæ ſunt publico Sereniſſimi Dominii, vel Locorum Voto decretæ. Reliquas omnes ex pia conſuetudine certis diebus fieri ſolitas, omnino ad proximum Feſtum diem transferri volumus, quod juſtiſſimis ex cauſis a Nobis per Paſtorales Literas decretum, ſervetur perpetuis temporibus. Hac communi Sanctione, doceatur Populus, quibus ad hoc gravibus otii, & peccati ſuſtollendi cauſis moveamur. Longi itineris Proceſſiones ſtudeant prudenter Parochi contrahere; vix enim ordinem, & decentiam in iis ſervari poſſe ſperandum eſt. Populus procedens a Sacerdotis præſentia nunquam recedat, ſed cum ipſo alternatim oret debitis intervallis ſervatis. In viſitatione Eccleſiarum Sacerdos, equo deſiliens, reverenter preces conſuetas dicat. Sit ſemper Superpelliceo, ac Stola indutus. In refectionibus ſobrietas ſervetur. Vellemus ſane Proceſſiones omnes ante refectionis tempus expleri, ſed ne ſcandalum puſillis ingeramus, tolerabimus quidem diurnas uſu diuturno confirmatas, eas omnino prohibere parati, ſi

Ordo, & ſpatium Proceſſionum.

com-

Digitized by Google

commeſſationibus & ebrietatibus dari in illis locum comperiamus. Omnis vero Proceſſio ante ſolis occaſum expleatur. Novæ, niſi ſpeciali Noſtra conceſſione, nullimode inſtituantur. Quoniam vero dolore ſummo affecti cognovimus in Proceſſionibus pleriſque a Populo certum numerum Euangeliorum exigi, in biviis præſertim, ac triviis, ſibi per hoc a vanis maleficiorum timoribus conſuli judicante, futilem ejuſmodi opinionem deſtruere cupientes, laudamus quidem Euangelii cantus, ſed omnino vetamus, vel numeri, vel locorum, vel modorum haberi rationem. Volumus legi Euangelia, ubi commodius Parochis viſum fuerit, ne ſacros Ritus ſuperſtitione contaminent. Deo dilecta Plebs, quæ inſtruitur propterea Noſtris, & Sacerdotum vocibus, difficilis eſſe non renuat.

Vanæ obſervationes a Proceſſionibus arceantur.

Quicumque Sacerdotes, & Clerici cujuſcumque gradus, & Ordinis interſint Proceſſionibus, quæ intra Civitatis, vel Terræ ambitum fiunt; potiſſimum vero in Feſto Corporis Domini. Circa ſolemnem Proceſſionem S. Pelagii renovamus Decreta Præcedentium Synodorum, tum quoad Parochorum in Urbe præſentiam, tum quoad procedendi, & ſedendi loca in utriſque Veſperis, & Miſſa, quibus adeſſe omnes tenentur. Ut autem contentionis ſuſtollatur occaſio, hic erit omnium præcedentiæ locus. Poſt Cathedralis Eccleſiæ Canonicos primus erit Archipresbyter Collegiatæ Bullearum, ſubinde Archipresbyter Portularum, ſequentur Plebani juxta ſuæ promotionis ordinem: quos Curati eodem ordine excipient. Si quis legitime impeditus alium Sacerdotem ſubſtituerit, huic ſubſtituto locus erit poſt Curatos, niſi ſit Bullearum Canonicus, cui præcedentia competit poſt Archipresbyterum Portularum jure Canonicali, ante Plebanos omnes. Vexilla Eccleſiarum ſervabunt ordinem, quo ſunt vocari ſolita. Nemo ab hac ſolemnitate ſe ſubtrahat, antiquiſſimo jure in Eccleſia noſtra inſtituta. Si cui legitima erit abſentiæ cauſa, a Nobis Licentiam impetret, & ſubſtitutum Sacerdotem mittat, ne ad Sacras deferendas Reliquias numerus deſit; ut in præcedentibus pariter Synodis decretum eſt.

Decreta de Proceſſione in Feſto S. Pelagii.

Ordo Vexillorum.

CAPUT III.

De Exequiis, Funeribus, & Cœmeteriis.

MOrtales in Chriſto quieſcentium exuviæ, templa olim viventia Spiritus Sancti per impreſſionem ſignorum ſenſibilium in Sacramentis conſecratæ, & in noviſſima tuba ad gloriam, & incorruptionem, ut ſperandum eſt, ſurrecturæ, ſumma

ſunt

Digitized by Google

ſunt reverentia, ac pietate a Fidelibus ſuperſtitibus procurandæ. Si enim paterna Veſtis, & annulus tanto eſt charior Poſteris, quanto major erga parentes exiſtit affectus, nullo modo ipſorum negligenda ſunt corpora, quæ multo familiarius, atque conjunctius, quam quælibet indumenta, geſtaverunt.

Sed accuratius viventium Charitas debet ad Animarum a vita mortali decedentium ſalutem plenam intendere, ut piis operibus pro ipſorum ſuffragio oblatis ad Deum Angelorum manu ſiſtantur. Hoc nempe militantis Eccleſiæ conjunctio exigit, qua triumphanti adhæremus; hoc filiæ ipſæ Sion in Spiritu judicii, & ardoris, a ſordibus humani contagii ablutionem in Purgatorio igne aſſiduis ſuis gemitibus poſtulant; hoc præcipit Dominus, Miſericordiam ſe nobiſcum facturum liberaliter ſpondens, ut ipſi cum mortuis egerimus. Sane bonus ille *Tobias* orans cum lachrymis, & ſepeliens mortuos, teſte Angelo commendatus, bonam retributionem accepit, ut utrumque nobis eſſet documentum, & pro ipſis offerendæ orationis, & in extincta membra pietatis. Idipſum ſperandum Nobis eſt, & Populo Noſtro, ſi opus hoc ab omni avaritiæ ſorde alienum, & juxta Eccleſiaſtici Ritus normam ex animo miſericorditer peragamus. Quare confirmatis iis, quæ Decreta ſunt circa mortuorum ſuffragia, & curam gerendam, in præcedentibus Synodis, hæc graviora in memoriam Sacerdotibus revocamus.

De cuſtodia Cadaverum Domi.

Moneant Parochi Laicos, ut fidelis defuncti Cadaver poſtquam exceſſerit, cuſtodiatur domi ab pia aliqua perſona ſi fieri poteſt penes ipſum orante, vel ſaltem clauſo diligenter Oſtio, ne ab animantibus deformetur, donec deferendum ſit ad Eccleſiam; ſit ante caput ejus Crux, & vas aquæ benedictæ ad pedes, & unum ſaltem ardeat luminare.

Decenter, & modeſte juxta locorum uſum veſtiatur. Non removeatur a domo ante horas duodecim poſt egreſſam a corpore animam; ſed potius tempus hoc prorogetur, maxime in repentinis caſibus, vel morte Puerperarum. Prohibemus omnem Cadaveris translationem, niſi Parocho, vel Sacerdote proſequente, & recta ad Eccleſiam comitante. Anguſtioris fortunæ mortui gratis proſequantur; a ceteris juxta locorum conſuetudinem, diſtantiam, laborem, &c. eleemoſyna exigi debeat: modo, ne ſine Sacerdotis comitatu Paganorum more fidelis defuncti Cadaver deferatur.

De ipſorum translatione ad Eccleſiam.

In funeribus fugiant avaritiæ notam, & pro ſepultura nihil exigant, præter præſcripta a jure, vel recepta loci conſuetudine eleemoſynæ titulo, non mercedis. Pauperes gratis Chri-

Digitized by Google

Chriſtiane ſepeliant, nec nimis tenaci Stipis exactione afflictis afflictionem addant. Funus juxta Rituale Romanum celebretur ſolemniter plus, minuſve, juxta Conſanguineorum pium deſiderium, majore vel minore Sacerdotum numero ad exequias, & Miſſas celebrandas adſcito. Violaceis veſtibus ſacris in funere nemo Sacerdotum utatur. Sicubi deſunt nigra Pluvialia, donec ab iis ad quos ſpectat provideatur, ſimplicem Stolam adhibeant. Nemo ulla de cauſa ante horas 24. ſepeliatur, quod non ſolum Eccleſiaſticis, ſed publicis ſupremis Legibus ſancitum eſt. Parochis aliter fieri permittentibus, Suſpenſionis a Parochiali exercitio per menſes tres pœnam comminamur. Tempus hoc contrahatur numquam, protrahatur porro facile, præſertim circa Cadavera decedentium Puerperarum, aut repente mortuorum. De funeribus.

Nullus Sacerdos, Parocho inconſulto, ſepulturæ tradat Chriſtiani hominis Corpus. Leges de non ſepeliendis Cadaveribus repente ſublatorum, donec per peritorum actus de mortis genere conſtiterit, omnino cuſtodiantur. Translationes corporum noctu non fiant, nec Divinorum officiorum tempore. Circa Miſſam de *Requiem*, & funera ſerventur in Ritualis Rubricis præſcripta: in Duplicibus unica tantum Miſſa de *Requiem* præſente corpore celebretur. Contraria conſuetudo quævis, ut abuſus ſuſtollatur: ſeptimo, aut trigeſimo die, ſi Feſtum ſit, non liceat de *Requiem* celebrare, ſed in proximiorem feriam non impeditam referatur. In Paraſceve Exequiæ non fiant, ſed ad Sabbathum differantur. Miſſa de *Requiem* in die Nativitatis, Epiphaniæ, & Triduo Mortis Domini, Dominica Paſchatis, & Pentecoſtes, & in Duplicibus primæ claſſis non celebretur omnino. De Miſſis, & Ritibus funeralibus.

Nemo nova ædificare Sepulchra audeat in Eccleſiis ſine Noſtra, quod jus attinet Spirituale, conceſſione, & Magiſtratus Sanitatis, quod publicam ſpectat Salutem, auctoritate, & facultate. Ubique quacumque ex cauſa jam ſepulta cadavera, vel integra, vel jam tempore detrita ſine ſpeciali Noſtra facultate jure Canonico vetitum eſſe ſciant exhumari. Quo neceſſe ſit Cœmeteria expurgari, vel Sepulchra, debitis id facultatibus habitis fieri poſſit ſcripto impetrandis. Cujuſcumque Sepulchri lapis unus ſit integer exacte claudens Sepulchri oſtium. Curent Sacriſtæ in Corporum tumulatione lapidem probe calce, & arena concludi. Quæ Sepulchra fracto, vel non apto contecta ſunt lapide, hoc noſtro Decreto interdicto ſubjaceant, donec reſarciantur. De Sepulchris. Vetantur exhumari cadavera. Sepulchra quomodo extrui debeant.

Curent quantum poſſunt Parochi Populum diſtrahere ab uſu

Digitized by Google

Clamores Ethnicismum ſapientes ſuſtollantur.

luctuum, & clamorum in Eccleſia, & ineptis defuncti laudibus, atque ridiculis canticis, qui mos ex ethnica Næniarum, & Præficarum ſuperſtitione proceſſit. Non contriſtari fideles de dormientibus hortentur, ſicut & cæteri, qui ſpem non habent. Quinimmo ex Cadaverum præſentia occaſionem capiant Populi de humanarum rerum vanitate ſalubriter admonendi, & quod in imagine pertranſeat homo, ut idem expectantes Mortis inſtans judicium vigilent, ne imparati ad ſupremi Judicis Tribunal ultimo humano fato trahantur.

De Cœmeteriis rite cuſtodiendis.

Cœmeteria ſummo in honore & veneratione habeantur, ut loca Deo ſacra. Nullæ in iis tolerentur adfabulationes, negotiorum actiones, nugæ, ludi. Audiat unuſquiſque mentis auribus diſertarum Cinerum voces commonentium, memores Nos eſſe judicii earum, ſic enim erit & Noſtrum. Muro circumambiantur octo ſaltem pedibus in altudinem erecto, & cuſtoditis Foribus, vel Cancellis, ne animantibus brutis poſſit ibi aditus patere. Naſcentes ceſpites quotannis abſcindantur, & concrementur igni ob mortuorum reverentiam. Foſſæ, juxta Supremas Leges, ad ſepeliendum unius paſſus profunditatem exæquent. Ordine ſepeliantur Cadavera, nec liceat ulla de cauſa ad eumdem locum, ſepeliendo mortuos regredi, niſi exacto ambitu univerſo Cœmeterii. Si quæ nova erigenda erunt Cœmeteria, procul ſint ab habitationibus, & Eccleſia Parochiali. Nos in ipſis fieri Oratorium concedemus, atque copioſas Indulgentias impetrabimus, ut pia devotionis frequentia, quieſcentium animæ releventur. Si quæ Cœmeteria Muris, Cancellis, aut convenienti munditie deficiant, inſtent ſerio Parochi, ut reficiantur juxta Eccleſiaſticas Sanctiones, & Supremas Sereniſſimi Dominii Leges. Ut id prompte fiat ab iis, ad quos ſpectat, proculdubio Supremam Auctoritatem pro re tam gravi, non inutiliter, implorabimus.

Sacerdotes celebrent quandoque ad Oratoria Cœmeteriorum.

In Cœmeteriis procul ab Parochiali Eccleſia poſitis, ut in loco noſtro Æmonienſi, quando Oratorium reſtauratum ſit, oramus Sacerdotum Charitatem, ut quandoque Miſſas celebrare ſponte ſua non graventur. Moneant Populum, ut locum, in quo jacent charorum ſuorum Corpora, & quo ipſe quoque ſperat carnis ſuæ ſarcinam eſſe depoſiturum, piis ſupplicationibus, & eleemoſynis proſequatur, ex quibus conſervari Eccleſia mox labens, & ſemidiruta poſſit. Hoc quoque ſpectat ad Communionem Sanctorum.

Qui ab Eccleſiaſtica Sepultura arcendi.

Commemoramus Parochis, ut non admittant ad Eccleſiaſticam Sepulturam Infideles, Hæreticos, publice Excommunicatos, & infantes ſine Baptiſmate mortuos, & publicos impœni-

pœnitentes in morte. In dubiis, ab Officio Noſtro conſilia petantur.

Excitamus Sacerdotum, & Parochorum Charitatem, ut ad exequias, & funera vicinorum Sacerdotum decedentium libenter accedant. Excludantur in die funerum ſumptuoſæ epulæ, quas ſummo dolore comperimus iis diebus, Ethnica ſuperſtitione, celebrari, & hortentur Laicos hæc omnino reſcindere, ſed modeſta refectione eſſe contentos, docente Nos Spiritu Sancto: Melius eſſe ire ad Domum luctus, quam ad Domum Convivii.

Sacerdotes libenter adſint funeribus Sacerdotum vicinorum.

Mortuorum voluntates, publicis Legibus non obſiſtentes, omnino, quoad Spiritualia ſpectat, impleantur. Negligentes ſciant ſe ultionem Domini in caput ſuum conglobare. Sexcentis exemplis oſtendit Deus iræ ſuæ flagella non æterna modo, verum temporalia quoque hominum ſpes evertentia, qui comederunt Sacrificia Mortuorum. Quapropter cujuſcumque juſtæ defunctorum, quoad æternæ vitæ ſubſidia ſpectat, voluntatis immutatio, præteritio, negligentia non effugiet vindictam Domini excitatam voce clamantium Sanctorum ſub Altari Dei. Confeſſarii inſtruant fraudatores ejuſmodi, quanto crimine implicentur, niſi ſatisfecerint. Bene, & Religioſe de Reſurrectione cogitantes, & corpora in Gloriam ſurrectura, & animas nobiſcum olim glorificandas honore, reverentia, ſuffragio non fraudemus. Beati Miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.

Legata pia Publicis Legibus non obſtantia omnino impleantur.

CAPUT IV.

De Bonorum Eccleſiaſticorum tutela.

DEcet Patrimonium Chriſti fideliter miniſtrari, ut petenti a Nobis rationem Domino reſpondeamus. Licet enim cordis potiſſimum, & ſpiritus adoratione vehementer delectetur Deus, tamen quoniam in manufactis Templis nobiſcum commorari dignatur, æquum eſt externi quoque Ritus magnificentia dilectionem, quæ ex omnibus viribus noſtris proficiſcatur, oſtendere. Huc vero ſpectant exteriora Eccleſiæ Bona, adminiſtrationes, redditus, proventus, ſtabilia, mobilia, decimæ, quæ ſacra cum ſint, nequeunt eſſe in prophanos uſus converſa ſine crimine.

Jam vero ſuperius monuimus, in Eccleſia quavis Sacram ſupellectilem decenter mundam eſſe oportere, & ſi deficiat, interdicto eſſe a Nobis proculdubio ſubjiciendam. Hinc per Chriſti miſericordiam adjuramus bonorum Eccleſiaſticorum Curato-

 res,

Infelix Eccleſiaſticæ procurationis ſtatus.

res, ut tenuitatis Eccleſiarum miſerati, eas procurent diligenter, & ad Dei gloriam fideliter. Timeant maledicta Domini in eos, qui ſibi conſecrata diripiunt. Homines vident ea, quæ patent, Dominum latentia non fugiunt. Quæ Eccleſiæ nunc ſubſidio carent, eæ quondam ſuis fuere dotatæ patrimoniis per temporum viciſſitudines diſperſis. Lugemus ſane Templorum materialium inopiam, quæ ſcilicet ſpei Chriſtianæ ſunt baſes; ſed multo lachrymoſius deflemus animarum jacturam, ſi quæ ſunt, quas Diabolus ſacrilegæ poſſeſſionis nexibus implicavit. Altiſſimus eſt patiens redditor; ne quis dicat in corde ſuo: Peccavi, & quid mihi accidit triſte?

Mobilia ſacra in domibus privatis ſervari vetitum.

Mobilia, & Supellectiles ſacræ in Eccleſia bene cuſtodita ſerventur in Armariis concluſa ab iis, quibus jus eſt ea conſervandi. In domibus privatis Laicorum nulla ratione teneantur, niſi ad tempus, donec de Capſis, ſive Armariis convenientibus provideatur. Quæ habitualiter ſervantur in domibus Laicorum, Decreto hoc interdicta ſint, donec in Eccleſia collocentur.

Æmulationes inter Scholarum curatores vanæ.

Hortamur Confraternitatum Laicorum Procuratores, & Confratres vanam eam pietatem deponere, qua fit, ut in Sancti Titularis ſui cultum adeo inſumant copioſiores altaris redditus, ut negent quidpiam in reliquum Eccleſiæ decus impendi. Non eſt inter Dei Cives miſera æmulatio hæc, qua filii Mundi torquentur. Etenim æque glorificatur Deus, ſi in ſui, vel ſuorum Sanctorum honorem redditus impendantur. Deforme proculdubio, & monſtruoſum eſt, uno Altari argenteis Vaſis, & Candelabris referto, in reliqua Eccleſia Orarium, & Caſulam ad Sacrificium deſiderari. Non ſint mendaces filii hominum in ſtateris ſuis, ne decipiantur ipſi de vanitate in idipſum.

CAPUT V.

De Confraternitatibus Laicis, ſeu Scholis.

GEnus hoc Religionis ab initio originem traxit a pietate Chriſtiana, ne Laicis ſacra deeſſent Vexilla, ſub quibus, ſine diurni operis detrimento, Deo potiſſimum Feſtis diebus, communi oratione vacarent, & per ſingularem pietatis æmulationem illi devoverentur. Hinc pleriſque Indulgentiarum Theſauris ditatæ ſunt: hinc ex largitate piorum hominum patrimoniis auctæ in ſacros uſus miniſtrandis. Nollemus ſane hæc fere nomine tenus in univerſa Diœceſi Noſtra ſervari, & ſolum ob contentiones in adminiſtrando Patrimonio innoteſcere. Sed quoniam Magiſtratuum pietatis ſacræ cuſtodum ſubjacent vi-

gili

Digitized by Google

gili providentiæ; Nos hoc unum pro Paterno noſtro zelo monebimus, ut reminiſcantur, ſe quoque Judici æterno, qui falli nequit, eſſe ſubjiciendos.

Nos, ſpiritualia quod attinet, eos doceri volumus ore Sacerdotum, niſi ſtatuta ſua ſervent, congregentur, orent, propria pœnitentiali veſte conteƈti Sanƈtiſſimum Sacramentum in Proceſſionibus comitentur, funera Confratrum celebrent, aliaque ejuſmodi præſcripta faciant, nequaquam hoc ſacro Scholarum nomine inſigniri, nec eſſe Indulgentiarum ulla ratione participes. Confratres Scholarum, pia opera injunƈta non implentes, nullam Indulgentiam lucrantur.

Atque dileƈtum Populum Noſtrum abduci ab errore cupientes, vehementer optaremus harum quoque ſuſtolli vana nomina, & procurationes, niſi ad Dei cultum in melius reformentur: quod fortaſſe implorabimus a Publica Pietate.

Interim hortamur Laicos felicioris potiſſimum fortunæ, ut iis adſcribi non detreƈtent, & modum fucis dulcioris favos lambentibus propria pietate imponant, ut tandem non ex cupida, ſordidaque avaritia, ſed ex Dei, & Templi ejus zelo Confraternitatum nomina, & Procurationes laudem ſortiantur.

C A P U T VI.

De Hoſpitalibus, & Noſocomiis.

MŒſtitiæ velum obducimus ſuper infelici ſtatu pauperum, orphanorum, infirmorum, laƈtentium, expoſitorum Noſtræ Diœceſis. Quantum Nobis licet, verbo, & exemplo Sacerdotes excitabimus, ut frangant eſurienti panem ſuum; egenos, vagoſque inducant in Domum ſuam; cum viderint nudum, operiant eum. Sed Paterno movemur zelo, ut locorum Capitibus, & Zupanis ob oculos exponamus ſenes miſeros, anus impotentes, pueros omni deſtitutos auxilio, infirmos fame, tabe, inedia confeƈtos in locis non raro interire. Videant, ſi quod utilius ſibi poſſint ad cogitandum proponere, quam tantis Proximorum calamitatibus impetrare remedia. Nos ad Deum cum gemitu converſi, hoc reliquum eſt, ut repetamus: Tibi dereliƈtus eſt Pauper, Orphano tu eris adjutor.

Digitized by Google

CAPUT VII.

De Officio Parochorum.

HI ſunt Patres Populorum, atque Paſtores, qui animam ſuam pro Grege ponere debent, & Chriſti Auctoritate, cujus funguntur Miniſterio, conferre illis vitam æternam. Dilectionis Dei in ipſis menſura eſt ſuper Animas ſibi commiſſas vigilantia. Si diligis me, paſce oves meas, ter Chriſtus nobis omnibus in Petri perſona pronunciavit. Convenit itaque virtutem in nobis ſuper reliquos fulgere. Convenit exemplo pietatis verbum, quod annunciamus, vivificare. Amet nos Populus tamquam Patres: Nos habeat in Vita Conſiliarios fideles: Nos experiatur in Morte utiles Conſolatores. Unicum fortaſſe Parochi ſcandalum tanti eſt, ut poſſit per ipſum confeſtim deſtrui in Plebe Virtus diuturno labore ædificata.

Quamquam autem dilectos in Sortem Domini Cooperatores Noſtros, quantum humana patitur fragilitas, utiliſſima prudentia, Sanctitate, & zelo Nobis præſto eſſe in Animarum regimine lætemur: tamen debitum Muneris Noſtri implemus, dum de Officio ipſorum nonnulla differimus. Hoc ſane agimus ut pietatis in ipſis ferventem Spiritum communi veluti Vicaria Cohortatione confirmemus.

Parochorum reſidentia.

Reſideant intra Parœciarum ambitum, ut eſt Divino, humanoque jure ſtatutum. Ipſis hoc debitum eſt, & Canonicis pœnis inflictis in tranſgreſſores vindicandum. Non abſint plus quam triduo de Vicarii Foranei licentia. Si plus temporis cuipiam interſit abeſſe, a Nobis, vel Vicario Generali jus impetrent, idoneo Sacerdote ſubſtituto. Adventus, Quadrageſimæ, Pentecoſtes, Corporis Domini, & Titularium Sanctorum diebus, nonniſi graviſſima cauſa a Nobis cognoſcenda, non recedant ab Eccleſiis. Reprobamus quorumdam Parochorum abuſum pernoctandi extra Parochialem domum frequenter, licet in viciniis, ob periculum, ne difficile inveniantur in caſibus repentinis, quo præſertim unicus eſt Sacerdos. Honeſta recreatio laudabilis eſt, vitioſa alienatio damnatur, ne ipſorum culpa quiſquam Eccleſiæ deſtitutus auxiliis pereat.

Per ſe ipſos, quantum poſſunt Sacramenta miniſtrent.

Sacramenta per ſe tam ſanis, quam ægrotis hominibus, quantum poſſunt, miniſtrent, & nominatim oves ſuas agnoſcant, & vocent, recordati Mercenarium, qui non eſt Paſtor, viſo lupo, fugere, quia ad eum non pertinet de Ovibus. Quo nemo eſt qui pueros exerceat in literis, excitatur ipſorum charitas,

Digitized by Google

ritas, ut cupientibus, & in ſpem publicæ utilitatis adoleſcentibus pueris honeſtioris fortunæ tradant libenter legendi, ſtudendi, ſcribendi, & Arithmeticæ elementa. A Deo remunerabuntur irrigantes teneros frutices, ut in juſtitiam, & ſalutem multorum creſcant.

In Sacris Studiis otium inſumant, libroſque proinde habere curent utiliores. Horum præſertim Theologiæ, & Liturgicarum rerum expoſitores aſſidue tractent. Ante ſacrarum cæremoniarum ritus Rubricas legant, & Miniſtros doceant, omnibus probe diſpoſitis, ne ſacra turbentur clamore, & correptionibus mutuis ſcandali plenis, quibus quandoque prophanantur celebrata Amoris Myſteria. Liturgicos, & Theologicos Libros non negligant.

Quod vero omnibus præſtat, norma fiant ceteris Charitatis. Hujus Charitatis affectu, ſervatis mutuis juribus, ſibi ſint invicem adjutorio. In quæſtionibus ſuborientibus turbati juris, ceſſent contentiones, jurgia, æmulationes: ad Nos deferant, æquo, nulloque omnino partium ſtudio abrepto judicio Sententiam dicturos. Omnes enim pariter diligimus & complectimur in Jeſu Chriſto. Sacramenta petentibus prompte, hilariter, reverenter miniſtrent, non petentes invitent. Decimas, tributa, eleemoſynas ſibi debitas exigant: humaniter cum pauperibus, non durius agant, etiam ſi jure agant. Patres ſunt, qui ex Altari vivunt, & ſerviunt, non exactores. Qui parcit pauperi, & inopi, honorabile facit nomen ſuum. Quæſtiones in Charitate componantur.

Abuſus adnaſcentes impavide ſuſtollant. Vitiis, atque peccatis bellum perpetuum nullis induciis indicant. Impediant vanas novitates, ſtudio, & nomine pietatis obtectas. Concubinarios publicos, Uſurarios, Blaſphemos, Suſurratores, Detractores, omneſque in peccatis perſeverantes arceant a Pane Divino. Si minus poſſint, Nos habebunt proculdubio adjutores ſedulos, ut quantum in Deo poterimus, mala germina ſuccreſcentia radicitus extirpemus, non reſpicientes perſonam hominum; Miniſtri enim Chriſti ſumus. Si quid vel ipſi, vel Nos ab pravis hominibus patiemur incommoditatis, beatos tunc Nos eſſe judicabimus contumeliam ferentes pro nomine Jeſu. Ipſe Deus ſuæ gloriæ cuſtos erit, & Protector. Publicos Peccatores corripiant, & inemendatos Nobis denuncient.

Sit in Parochia qualibet Grammatophylacium diligenter cuſtoditum ad ſervandos Parochiales Libros. Ibi Scripturæ, Inventaria, Bonorum deſcriptiones, Eccleſiæ Jura, SS. Reliquiarum Authenticæ, Indulgentiarum Bullæ, Decreta in Viſitationibus ſtatuta, Epiſcopales Literæ, Mandata Curialia, & alia ejuſmodi diligentiſſime ſerventur, diviſim, & ordinate, ut facile ad manus eſſe queant. Ibi pariter Matrimoniorum, Baptiſmorum, Con- Grammatophylacia habeant, & cuſtodiant.

Digitized by Google

Confirmationum, Defunctorum Libri exacte ſint ſuo ordine diſtributi. Nemini claves ejuſmodi Grammatophylacii tradantur, ſed ſint caute penes Parochos. Nos in Sacra Viſitatione hoc ſedulo curabimus, ne graviſſimi damni, & operoſi inutilis negotii cauſam præbeant neglecta Parochiarum Archivia.

Cum vero de his, quæ Parochialia munera ſpectant, abunde in Superioribus capitibus actum ſit, ſupereſt, ut Cooperatores Noſtros hortemur etiam, atque etiam cavere, ne Depoſitum Domini ejus pretioſo coemptum Sanguine perdant, vel diſſipent. Vigilantes ſint, ne alius accipiat coronam eorum.

C A P U T V I I I.

De Vicariis Foraneis.

DIœceſis Noſtræ anguſtia minus exigere videtur Vicariorum Foraneorum copiam, ut cooperentur Nobis in exacta ſervanda Clericali diſciplina. Exempla tamen Prædeceſſorum Noſtrorum ſecuti, & Sacerdotum commoditati in Domino providere cupientes, præter Vicarium Generalem, Vicarios Foraneos duos inſtituimus, Archipresbyteros nempe Bullearum, atque Portularum, quibus præminentias omnes, jura, prærogativas, officia, onera concedimus jure, vel conſuetudine huic officio adnexa in Noſtra Diœceſi, quibus debitum honorem, & reverentiam a Clericis omnibus impendi omnino mandamus.

C A P U T I X.

De Congregationibus Caſuum Conſcientiæ.

INcredibili animi Noſtri lætitia excipi vidimus libentiſſime ab omnibus Eccleſiæ Noſtræ Sacerdotibus Literas a Nobis de Conſcientiæ Caſuum Congregatione ſtatis habenda temporibus, quod ſalutare exercitii genus neglectum, Literis Noſtris iiſdem Decembris Anno 1776., ſtatim reſumi juſſeramus. Gratias itaque Deo agentes, quod animo egregio, ad utilia quævis, & pia docili præditum Clerum Noſtrum repererimus, continenter confirmamus quæ juxta præcedentium Synodorum Decreta tunc ordinavimus, potiſſimum circa locorum diviſionem, ut ſit omnibus commodior acceſſus. Plane autem eam eſſe volumus, quæ in Synodo Mazzocca ſtatuta eſt, ut nempe ſtatis a Præfecto per Secretarium indicendis temporibus in Epiſcopali Aula Æmoniæ congregentur Canonici, & Sacerdotes omnes, & Clerici

Ci-

Digitized by Google

Civitatis, atque inſuper Parochi Vertenelii, Villænovæ, & S. Laurentii in Dayla: Bulleis in Collegiata præter Clericos loci, tum Clerici Griſimianæ, Mumiani, Berdæ, & Carſettis, & Tribani: In Eccleſia Archipresbyterali Portularum, præter Clericos loci, Clerici Sternæ, & adnexorum Pedemontis, & Caſtaneæ. Dies reſpective a Præfectis ſtatuantur; & in *Sacriſtiis* affixi pateſcant omnibus. Præfecti ſint Vicarius Generalis, & Foranei. Omnibus Congregatis proponantur in Kalendario Caſus pro menſibus præſcripti, aliquibus ſorte ad ipſos reſolvendos extractis: reliquis opinionis ſuæ dicendæ ſit locus: ab aliquo demum digniore, vel provectiore, uberiore doctrina definiantur. Deciſiones omnes ad Nos tranſmitti volumus, ut per Theologos Noſtros accuratius examinentur. Ex iis Epitomen pro praxi manualem ad calcem Kalendarii proponi quotannis curabimus. Nullus abſit, niſi legitima cauſa. Cauſa a Præfecto probetur, vel Nobis: qui abſunt ſcriptam Deciſionem mittant Secretariis reſpective. Confeſſariis in hoc deficientibus, Patentes Literas non concedemus: Sacerdotes reliquos ad Confeſſiones audiendas non admittemus. Cetera juxta opportunitatem ſtatuentur.

Congregationes Caſuum habeantur juxta hanc Sanctionem, & Noſtra Decreta.

CAPUT X.

HÆc ſunt quæ ex Sacris Canonibus, ex Conciliis, tum Generali Tridentino, tum Provinciali Aquilejenſi, atque ex Synodis Diœceſanis Noſtris Tommaſini An. 1644. Bruti 1674. Gabrielli 1691. Mazzocca 1730. deſumpta, opportuneque diſpoſita in hac Prima Noſtra Synodo edicimus, & promulgamus de Conſilio Fratrum Noſtrorum Canonicorum Noſtræ Cathedralis, & de illorum, & totius Cleri conſenſu. Quod ſine ullo Epiſcopalis auctoritatis Noſtræ detrimento facimus, cujus eſt libere, & abſolute decernere in his, quæ ſibi videntur in Domino expedire; ſed ut communis conſenſus Legis jugum gratius portare doceat, & ſuſtinere. Omnibus itaque Juriſdictioni Noſtræ ſubjectis in Virtute Sanctæ Obedientiæ mandamus, ut hæc prompte adimpleant, & exequi curent. Si quid dubietatis, vel difficultatis in ipſis, vel controverſiæ emerſerit, a Nobis reſolvendum petatur. Declarationem omnem, & interpretationem Nobis omnino reſervamus. Ne vero quis ignorantiæ prætextu excuſari ſe credat, volumus, ut intra duorum Menſium ab editione ſpatium omnes tam Sacerdotes, quam Clerici hujus ſibi exemplar adipiſcantur, nominibus in Curia Noſtra notatis. Atque ad Laudem, & Gloriam Omnipotentis Dei, Beatæ Mariæ Virginis, & Sanctorum Martyrum Maximi, & Pelagii Patronorum Noſtrorum Synodo huic finem imponimus.

COHORTATIO EPISCOPALIS.

EXcepiſtis Fratres, Filiique Dilectiſſimi, Sanctiones, quibus Eccleſiæ Noſtræ diſciplinam, Sacerdotalem dignitatem, Populi Nobis crediti ſanctitatem conſervatam iri ſperamus. Non Nobis utique, non Nobis, ſed Nomini Domini gloriam demus. Eo ſane duce, Ipſum præ oculis habentes, Unigenitumque ejus, animarum noſtrarum Pontificem, meditati ſumus, cœpimus, perfecimus. Nulla, ut audiſtis, ſunt nova propoſita, præter ea quæ humanæ infirmitatis conditio non patitur eſſe diuturna. Quis enim nova audeat in Eccleſiam invehere a Chriſto Sanctiſſimis legibus fuſe ſtabilitam? Ad Euangelicæ doctrinæ normam, ad SS. Patrum traditiones, & Inſtituta, ad Conciliorum Generalium, Summorumque Pontificum decreta, ad Prædeceſſorum Noſtrorum receptas in Eccleſia Noſtra, Noſtriſque neceſſitatibus plane opportunas Conſtitutiones, ad ſua denique principia diſciplinam, humana hebetudine ſemper in deteriora flectentem, revocare conati ſumus.

Teſtis eſt Deus: quin ipſi omnes teſtes eſtis, non virtutem Nos a Vobis exigere ſeveritate rudem, aſperitate difficilem. Quidquid indulgeri potuit, & debilitati compati, indultum eſt, ut hilaritate, jucunditate, decore ornatam charitatem in Vos, & in Populos effunderemus. Jugum Domini portamus, ipſum Plebi imponimus, non leve facientes, ſed Mediatoris gratia ſtrenue deferre cupientes, & alter alteri adjumento eſſe, ut ſic Chriſti Legem impleamus. Quæcumque itaque decreta ſunt, ejuſmodi ſunt, ut ſive Sacerdotali perfectioni (quod horrendum effatu eſt) renunciare Nos oporteat, vel omnino ſervare, & ut ſerventur a Fidelibus omni conatu curare. Sed quid Vos multis moror? Nonne incredibili excipi lætitia, & Synodi convocationem, & perlecta Decreta, ab omnibus Vobis ipſe perſpexi? Nonne Veſtris plauſibus, quo commovemini ſalutis animarum ſtudio, firmata ſunt, quæ olim propoſita ſunt a Nobis, ut ea ſedulo meditaremini? Nonne hinc omnes cupidi abſceditis, ut quamprimum Typis edita, norma ſint omnibus vitæ, & proximorum inſtitutionis? Agite, Venerabiles Fratres, hunc quo agimini Spiritum, cujus auditis vocem, quo animis, cordibuſque replemini; hunc, inquam, immaculatum ad Eccleſias, Plebeſque veſtras deferte. Docete quæ facitis, facite porro quæ in gloriam cedant Domini Noſtri Jeſu Chriſti, in cujus nomine cum Patre, & Spiritu Sancto, noſtro Miniſterio benedicti dimittimini.

De-

Digitized by Google

Decretum. De Concluſione Synodi.

SYnodi Noſtræ Diœceſanæ Æmonienſis Deo Auctore optatum finem videmus. Quapropter eam cum gratiarum Deo actione concludendam eſſe decernimus, & concluſam enunciamus.

Decretum. De Dimiſſione.

AD Laudem Dei Omnipotentis, Beatiſſimæ Virginis Mariæ, SS. Maximi, & Pelagii Patronorum Noſtrorum, & omnium Sanctorum gloriam decernimus Synodum dimiſſam eſſe, ac proinde liberum eſſe unicuique ad proprias Eccleſias reverti: hortantes omnes, ut tales ſe in ſuis Miniſteriis præbeant, quales decet eſſe Clericos ab omni mundana cura ſegregatos, & oſtendant Populo, ſe ab hac Synodo non mediocrem fructum retuliſſe, ceteris in omni opere prælucentes exemplo, & in informando Populo Dei diligentiam adhibentes. Itaque poſt Indulgentiæ Plenariæ a Sanctiſſimo D. N. Pio VI. conceſſæ publicationem poterit unuſquiſque in pace recedere.

Digitized by Google

ACCLAMATIONES.

Diac. DEo Uno, & Trino Gratias agamus, Beatiſſimæ Intemeratæ Virgini Mariæ, SS. Maximo, & Pelagio Patronis Noſtris laudem, & honorem referamus.

Chor. Tu es Auctor omnis boni operis, Domine. Maria Virgo, Sancti Patroni Noſtri intercedite pro Nobis.

Diac. Beatiſſimo Pio VI. Catholicæ Romanæ Eccleſiæ Pontifici felicitas vitæ, multi Anni.

Chor. Domine, conſerva eum, ſalvum fac eum in terra, & protege eum ab inimicis ſuis.

Diac. Sereniſſimæ Venetæ Reipublicæ pax perpetua, incolumitas ſancta.

Chor. Per quem reges regnant, & legum conditores juſta decernunt, exaudi nos.

Diac. Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo D. D. Joanni Dominico Epiſcopo Noſtro multi Anni, gratiarum actio.

Chor. Salvum fac, Domine, ſervum tuum: & rege eum, & extolle illum uſque in æternum.

Diac. Civitati huic, & Diœceſi incrementa ſalutis, abundantiæ, juſtitiæ.

Chor. Protege, Domine, populum tuum, & tuæ pietati confidentem perpetua defenſione conſerva.

Diac. Fidem Sanctam Catholicam ſemper profiteamur: Divina præcepta ſemper ſervemus.

Chor. Semper profiteamur, ſemper ſervemus.

Diac. Fidelibus in pace Chriſti defunctis requies.

Chor. Requiem æternam dona eis, Domine, & lux perpetua luceat eis.

Diac. Adjuva nos, Chriſte, & per temporalem tuæ Sanctæ Legis cuſtodiam perduc nos ad immortalem vitam.

Chor. Amen, Amen. Fiat, Fiat.

IL-

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMUS, ET REVERENDISSIMUS D. D.

FR. JOANNES DOMINICUS STRATICO,

DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA,

EPISCOPUS ÆMONIENSIS,

ET COMES S. LAURENTII IN DAYLA, &c.

Hos ſibi Caſus abſolvendos in Sacramentali Confeſſione reſervavit.

1. BLaſphemia Hæreticalis in Deum, Sanctos, & Creaturas.
2. Quodlibet Maleficium, Sortilegium, Divinatio, Superſtitio cum abuſu Sacramentorum, vel rerum Sacrarum, vel utcumque benedictarum tam ad pravum, quam ad bonum finem. *Extenditur ad docentes ejuſmodi ſuperſtitionum modos, & ad eos, qui pretio, vel aliis rationibus hæc ab aliis ut fiant præcipiunt, vel inducunt. Non extenditur ad vanas obſervationes.*
3. Falſum Teſtimonium in judicio redditum cum damno notabili proximi; nec abſolvantur niſi damno reparato. *Ampliatur ad eos, qui ſcienter ad damnum alterius falſum teſtem ſubornant.*
4. Incendium voluntarie procuratum ſive nemoris, ſive domus, ſive caulæ, ſive frugum ad damnum alterius, effectu ſecuto; dummodo damnum illatum ſit grave.
5. Homicidium voluntarium, non modo ſi mors ſequatur, ſed etiam ſi vulnus ad occidendum inflictum ſit grave, & periculoſum. *Ampliatur ad directe mandantes, conſulentes, arma ſcienter miniſtrantes, & quovis modo auxilium præbentes. Comprehenditur procuratio abortus poſt animatum fœtum, effectu ſecuto, tam relate ad ſcienter propinantes, quam recipientes remedia. Comprehenditur ſuffocatio infantis in lectulo detenti ante annum, effectu ſecuto.*
6. Quælibet Beſtialitas, & Sodomia perfecta. Item Inceſtus perfecti in primo gradu conſanguinitatis, vel affinitatis carnalis. *Non ampliatur ad affinitatem ſpiritualem.* Item voluntaria proſtitutio uxoris, vel filiæ relate ad Virum, & Genitores. *Intelligitur de expreſſo conſenſu, & procuratione Procorum.*
7. Defloratio Virginis, & Raptus mulieris vere invitæ, & reluctantis. *Intelligitur de Mulieris diſſenſu non ſimulato, & ad ſimilitudinem ficto.* Item copula cum qualibet Muliere extorta vi, verberibus, armis, dum-

dummodo timor inductus ſit gravis, & verus. *Excluduntur comminationes verbales, utpote verum timorem non inducentes.*

8. Violentæ manus in Genitores; nec abſolvantur, niſi impetrata ab ipſis venia. *Circumſcribitur ad contumelioſam manus violentæ immiſſionem, vel graviter læſivam: nam levis ex. gr. rejectio, non ad contumeliam facta, non cadit ſub caſu.*
9. Fraudationes Legatorum piorum, & Decimarum Eccleſiæ, & ipſarum Miniſtris debitarum, dummodo materia ſit gravis.
10. Malitioſa diſſimulatio alicujus impedimenti inter contrahere volentes Matrimonium, ſive impedimentum ſit publicum, ſive occultum; nec abſolvantur, niſi impedimento detecto.

Ab his omnibus nemo abſolvat, niſi in gravi mortis periculo, non impetrata ab Epiſcopo, vel Vicario in Spiritualibus Generali facultate, ſub pœnis Canonicis, & potiſſimum Suſpenſione a Confeſſionibus audiendis ipſo facto. In dubiis, ab iiſdem interpretatio petatur.

Præcipit item idem Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus Epiſcopus Tabellam hanc Typis editam, in omnibus Confeſſionalibus Sedibus, in Univerſa Diœceſi patenter ab interiore parte affigi debere, ut ob oculos Confeſſariorum eſſe poſſit, declarans ſuſpenſas cenſeri oportere eas Confeſſionales Sedes, in quibus non pendeat, donec rurſus ibi collocetur.

Datum Æmoniæ ex Noſtro Epiſcopali Palatio die 1. Septembris 1780.

{ F. JO. DOMINICUS Epiſcopus Æmonienſis, &c.

Nicolaus Bonicelli Coadjutor.

IN

IN DEI NOMINE, Amen.

Præſenti publico Documento cunctis ubique pateat, & notum ſit, quod Anno a Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti 1780. Indictione 13. Diebus, & Menſibus infraſcriptis, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri Domini Pii Divina Providentia Papæ VI. Anno 6.

ILluſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus Fr. Jo. Dominicus Stratico Ordinis Prædicatorum, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia, Epiſcopus Æmonienſis, & Comes S. Laurentii in Dayla, &c. volens ſuam primam Diœceſanam Synodum celebrare, eaque univerſo ſuæ Civitatis, & Diœceſis Clero publico Edicto diei 28. Menſis Julii proxime elapſi indicta pro die 27. currentis Menſis Auguſti, in duabus vel tribus Seſſionibus abſolvenda, de quo in Actis hujus Curiæ Epiſcopalis, &c. præmiſſiſque publicis precibus, pro ejus felici ſucceſſu in Parochiis, & Eccleſiis hujus Civitatis, & Diœceſis, nec non variis Congregationibus Canonicorum, Theologorum, & Parochorum, advenit tandem ſtatuta dies ad prædictam Synodum celebrandam.

Prima igitur die Seſſionis 27. Menſis Auguſti poſt pulſationem Campanarum Cathedralis, & aliarum Eccleſiarum Urbis heſterna die ſero præmiſſam, mane hora circiter duodecima, totus Clerus Forenſis, & Urbanus, nec non Canonici Cathedralis, & Collegiatæ Bullearum, acceſſerunt ad Palatium Epiſcopale ad aſſociandum Illuſtriſſimum, & Reverendiſſimum D. D. Epiſcopum, qui inductus Cappa, præeuntibus omnibus ſe contulit ad Cathedralem, una cum Illuſtriſſimo, & Excellentiſſimo D.D. Vincentio Cornelio Prætore Æmoniæ, & Illuſtriſſimis D. D. Judicibus, & Civibus, & facta Oratione ante Sanctiſſimum Sacramentum, aſcendit ad Cathedram ſuam Epiſcopalem, Canonicis, ac Præbendariis, & toto Clero ad Synodum convocato in medio Eccleſiæ in ſedibus, & ſcamnis ad id paratis exiſtentibus, ibique dedit initium Tertiæ, quæ dum cantabatur a Choro, ſe præparavit ad Sacrum ſolemniter celebrandum; & indutus eſt Sacris Veſtibus, Diaconum agente A. R. D. Jo: Paulo Pauletich Canonico Cathedralis, & Subdiaconum R. D. Jacobo Manzoni Manſionario Cathedralis.

Pontificalibus indutus celebravit cum cantu Miſſam Pontificalem de Spiritu Sancto, cum Muſicis, & Organo, aſſiſtentibus AA. RR. DD. Franciſco Alexandri Canonico Cathedralis cum Pluviali, & Jacobo Menghini S. Theologiæ Doctore, & Antonio Scherbich J. U. D. Canonicis cum Dalmaticis ad Cathedram; ceteris vero Canonicis tam Cathedralis, quam Collegiatæ induti Planetis, & Parochi omnes cum Pluvialibus,

Digitized by Google

bus, & Curati cum Stolis, & Superpelliceis. Expleta Miſſa, ſumptoque a Dom. Sua Illuſtriſſima, & Reverendiſſima Pluviali, intonata fuit per ipſum Antiph. *Exaudi* &c. & Pſal. *Salvum me fac, Deus*, &c. deinde Litaniæ Majores, & ad *S. Maria, ora pro nobis*, Sacræ datum fuit initium Proceſſioni ad Divinam opem implorandam, a Cathedrali per totam Civitatem, in qua interfuerunt invitatæ Laicales Scholæ cum Vexillis; Clerus Regularis, & Secularis totus ſub Cruce Capitulari ab uno Subdiacono delata, præeuntibus primo Clericis omnibus, deinde Sacerdotibus Forenſibus, & Urbanis cum Superpelliceo, & Bireto; poſt Cappellanis, & Curatis cum Superpelliceo, & Stola; ſubinde Parochis cum Superpelliceo, Stola, & Pluviali; poſtea vero Canonicis pariter, ut ſupra paratis, una cum eodem Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo D. D. Epiſcopo cum Pluviali reſpective, & Dalmaticis, & tandem ſubſequente Illuſtriſſimo, & Excellentiſſimo Prætore, Illuſtriſſimis Judicibus, aliiſque Nobilibus; & magno Populi concurſu, &c. Quibus ad Cathedralem reverſis, & Litaniis finitis, & aliis precibus a Pontificali præſcriptis, Illuſtriſſimus, & Excellentiſſimus Prætor, cum tota ſua Comitiva rediit ad Palatium ſuum.

Poſt hæc Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus D. D. Epiſcopus adhuc paratus ut ſupra deſcendit ad planum Altaris in Presbyterio, ubi erat adpoſitus Epiſcopalis Thronus, aſſiſtentibus tribus prædictis Canonicis, aliis vero Canonicis hinc inde paratis juxta proprium Ordinem, & Adm. Reverendo D. Vicario Generali in Habitu Vicariali in ſuo loco parato cum ſede diſtincta, & parva menſa ſtrata in fine Sedilium Canonicorum ad dexteram. Tunc cantato a Diacono Euangelio notato in Pontificali Illuſtriſſima, & Reverendiſſima Dom. Sua incœpit Hymnum *Veni Creator Spiritus*, &c. toto Clero cum Organis eodem in cantu proſequente.

Deinde ſedens Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus D. D. Epiſcopus ſub Throno ipſemet Paſtoralem Orationem habuit ad Clerum, qua expleta Adm. Rev. D. Canonicus Bullearum Pilaſtro receptis de manu Dom. Suæ Illuſtriſſimæ, & Reverendiſſimæ Decretis publicavit Decretum de Synodo incœpta: De Miniſtris Synodalibus, (quorum nomina in Eccleſia in Tabella magna, ſtatim expoſita fuerunt): De non inferendo alicui præjudicio circa locum, ſeſſionem, & vocationem: De non diſcedendo ante abſolutam Synodum: De querelis, & excuſationibus exponendis, Judicibus ad id deputatis, de quibus in Actis, &c.

His præmiſſis, Adm. R. D. Franciſcus Loi Canonicus Archipresbyter Bullearum, & Synodi Promotor deputatus ſtans ante menſam Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi D. D. Epiſcopi inſtetit pro Fidei Profeſſione emittenda, & ſucceſſive per Reverendiſſimum Vicarium Generalem lecta fuit alta voce toto Clero genuflexo; & Illuſtriſſimus D. D. Epiſcopus primus juramentum præſtitit in formula Brevi, quod omnes AA. RR. Canonici, Parochi, & Beneficiati ſecuti ſunt.

Succeſſive idem D. Promotor inſtetit deſignari horam, locum, & for-

formam pro Scrutinio Synodali perficiendo, & per D. Secretarium lectum fuit Mandatum, quod hora 20. haberetur in Cathedrali ſecundum formam a D. D. Scrutatoribus attendendam, prout in Actis, &c.

Poſt autem inſtante D. Promotore pro vocatione Cleri, ut conſtare poſſet de obedientia vel contumacia eorum, qui ad Synodum intereſſe tenebantur, & contumaces punire; D. Secretarius legit Mandatum vocationis, & Decretum procedendi juxta formam juris, & Canonum Diſpoſitionem contra inobedientes. Et vocati fuerunt omnes intereſſe debentes ſucceſſive per me infraſcriptum Epiſcopalem Cancellarium, juxta ordinem, & Catalogum, prout in Actis, notatis abſentibus; quod in qualibet Seſſione ſervatum eſt.

Qua vocatione expleta D. Promotor vigore Decreti Sacri Concilii Tridentini inſtetit per Dom. Suam Illuſtriſſimam, & Reverendiſſimam proponi, & nominari Synodo probatos viros, & requiſitis ab eadem Œcumenica Synodo ornatos, qui Examinatorum Synodalium munere fungerentur in examinibus Promovendorum ad Eccleſias vacantes; & ab eadem Synodo probari. Tunc Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus D. D. Epiſcopus tradita Secretario Schedula cum nominibus proponendorum, mandavit ipſos publicari, & nominari, & poſtquam approbati fuerint, juramentum præſtari. Qui D. Secretarius eoſdem alta voce nominavit, & ſinguli fuerunt probati a Synodo, prout in Actis, & vocati ad jurandum acceſſerunt ad Menſam Dom. Suæ Illuſtriſſimæ, & Reverendiſſimæ, omneſque juramentum præſtiterunt juxta formam ipſis exhibitam, prout in Actis, &c. Tunc lecta fuerunt per R. D. Sebaſtianum Marcheſani Coadjutorem Secretarii Decreta Primæ Seſſionis ex ſuggeſtu clara, & intelligibili voce, & Caput quodvis reſumptum ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Epiſcopo vulgari Sermone, communi conſenſu per verbum *Placet* probatum fuit, quod in reliquis etiam Seſſionibus ſervatum eſt.

Quibus peractis, attenta tarditate horæ inſtetit D. Promotor pro continuatione Seſſionis poſt Prandium, quæ indicta fuit per D. Secretarium hora 20., & data ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo D. D. Epiſcopo Benedictione non ſolemni rediit ad Palatium ſuum, & omnes alii receſſerunt.

Eadem die 27. poſt Prandium hora indicta habitum fuit Scrutinium a D. D. Præfectis, prout in Actis, &c. Subinde Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus D. D. Epiſcopus comitatus a Clericis, & a Capitulo ad Eccleſiam acceſſit, & facta brevi Oratione ad SS. Sacramentum paramenta Pontificalia aſſumpſit, ſicut Canonici, & Parochi propria, ut ſupra, & decantatis Pontificalibus primis Veſperis S. Pelagii Patroni Noſtri, præmiſſaque Oratione *Adſumus*, ſedit in ſua Sede Synodali, & Promotor inſtetit proſequi Decretorum lectionem, quæ a Dom. Sua Illuſtriſſima, & Reverendiſſima pro Diſciplinæ Chriſtianæ, & Eccleſiaſticæ reparatione, & augmento viderentur opportuna, & tunc præfatus D. Secretarii Coadjutor con-

 tinua-

Digitized by Google

tinuavit publicationem dictarum Synodalium Conſtitutionum e manu Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi D. D. Epiſcopi habitarum, ut de mane factum fuerat.

Quibus in parte perlectis, cum hora eſſet tarda, ſic annuente Dom. Sua Illuſtriſſima, & Reverendiſſima ceſſavit a lectione. D. vero Promotor inſtetit pro Seſſione habenda die craſtina; quare publicata Seſſione, & facta brevi Oratione D. D. Epiſcopus dedit Benedictionem ut mane, & rediit ad Palatium ſuum.

Die igitur ſequenti 28. ejuſdem Menſis Auguſti hora 12. Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus D. D. Epiſcopus congregato jam toto Clero parato, ut heri, acceſſit ad Cathedralem, & ob Feſtum S. Pelagii aſtitit ad Miſſam ſolemnem cantatam ab A. R. D. Franciſco Alexandri Canonico Seniore Cathedralis, Epiſcopus cum Pluviali, Aſſiſtentibus, Canonicis paratis, &c. Quibus abſolutis, præmiſſis precibus in Pontificali præſcriptis, intonatus eſt Hymnus, *Veni Creator*, &c.

Poſtea vero inſtante D. Promotore legi reliqua Synodalia Decreta, a præfato D. Coadjutore Secretarii de manu Epiſcopi habita lecta ſunt. Sed cum tarda eſſet hora, dilata, annuente D. Epiſcopo, lectio eſt in ſequentem Seſſionem, quam Promotor inſtetit fieri, & publicari pro craſtina die, cum poſt Veſperas Concluſio Theologica eſſet habenda. Itaque data Benedictione, & comitato Illuſtriſſimo D. D. Epiſcopo, omnes receſſerunt.

Eadem die 28. poſt Veſperas ſolemnes, & Proceſſionem cum Sacris Reliquiis ob Feſtum S. Pelagii, habita eſt Diſputatio a Diacono Joſeph Novello cum interventu perſonali Dom. Suæ Illuſtriſſimæ, & Reverendiſſimæ, & Illuſtriſſimi, & Excellentiſſimi Prætoris, aſſiſtente A. R. Dominico Roſſignoli Epiſcopali Theologo.

Adveniente ſequenti die mane 29. Menſis Auguſti, prædictus Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus D. D. Epiſcopus, convocato toto Clero parato ut ſupra, acceſſit ad Cathedralem cum Capitulo, ubi eodem aſſiſtente cantata fuit Miſſa pro gratiarum actione ab Illuſtriſſima, & Reverendiſſima Dom. Sua cum Miniſtris, & Aſſiſtentibus, ut prima die: ad quam ſecuta eſt Oratio A. R. P. Dominici Roſſignoli Ord. Præd. Epiſcopalis Theologi, poſtea recitatæ ſunt preces, ut in Pontificali, & cantato Hymno, *Veni Creator*, prædictus D. Coadjutor receptis a Dom. Sua Illuſtriſſima, & Reverendiſſima prædictis conſtitutionibus lectionem earumdem alta, & intelligibili voce in ſuggeſtu continuavit uſque in finem: quorum tenore audito, nemo quidquam oppoſuit, ſed omnes, uti ad ſingula Capita fecerant, probaverunt.

Completa Decretorum promulgatione D. Promotor Fiſcalis inſtetit contumaces abſentes citari, & puniri prout de jure, & Dom. Sua Illuſtriſſima, & Reverendiſſima ita fieri decrevit: rurſus inſtetit ulterius omnia Geſta, & Decreta præſentis Synodi per me Notarium in publicam formam tradi, & In-

& Inſtrumentum confici ad dictamen Sapientis, prout ego tradere, & conficere reverenter promiſi.

Denique expoſita per D. Promotorem convenienti conſumatione omnium agendorum, & tractandorum in Synodo, inſtetit pro dimiſſione, & concluſione Synodi, & ita fuit a Domino Secretario lectum Decretum ejusmodi dimiſſionis, cum facultate omnibus, & ſingulis ad proprias Ecclesias redeundi, accepta Paſtorali Benedictione.

Ex tunc Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus D. D. Epiſcopus habuit breve Alloquium ad Clerum, quo expleto intonavit Hymnum, *Te Deum laudamus*, & toto Clero eum proſequente, facta fuit Proceſſio circa Plateam, qua redeunte, & omnibus ad ſua loca reverſis poſt Orationem, *Nulla eſt*, &c. tunc A. R. D. Matthæus Tamburini Canonicus Honorarius Cathedralis Diaconali indutus veſte aſcendit ſuggeſtum, & fecit quamplures acclamationes, Clero reſpondente, & admiſſis per Illuſtriſſimum, & Reverendiſsimum Epiſcopum Canonicis, Dignitatibus, & Plebanis ad oſculum Pacis, prout de more, Benedictionem ſolemnem largitus eſt, & A. R. D. Alexandri Canonicus Senior Indulgentiam Plenariam omnibus facultate Apoſtolica traditam publicavit, & Diacono intonante: *Recedamus in pace*, Clerus Univerſus reſpondit: *In Nomine Chriſti*, *Amen*. Et depoſitis Paramentis Pontificalibus, præcedente toto Clero, & Capitulo, Illuſtriſsimus, & Reverendiſsimus D. D. Epiſcopus rediit ad Palatium ſuum.

Prædicta autem omnia, & ſingula acta fuere in Cathedrali Eccleſia Æmonienſi Diebus, & Anno ſupraſcriptis, præſentibus multis, & præſertim AA. RR. DD. Philippo Gregis Canonico Cathedralis Parentinæ, & Jo. Baptiſta Gordini Plebano Eccleſiæ Gradenſis, teſtibus notis, & idoneis ad prædicta, & ſingula omnia in unaquaque Seſsione, & tota Synodo ſpecialiter adhibitis, vocatis, atque rogatis, &c.

Joſeph Marignani Cancellarius Epiſcopalis, &c.

Digitized by Google

TABELLA SANCTORUM,

Quorum officia celebrantur ex ſpeciali indulto, vel conſuetudine in Eccleſia, & Diœceſi Æmonienſi, & Dierum, in quibus Officia perpetuo impedita, translata ſunt.

JANUARIUS.

14. SA. Petri Urſeoli Conf. dupl.
16. S. Titiani Epiſcopi, & Conf. Eccl. Cænotenſis Patroni dupl.
23. Deſponſatio B. M. Virg. dupl. maj.
27. S. Juliani Martyris dupl. cujus dies propr. eſt 7. hujus.

FEBRUARIUS.

3. Blaſii Epiſcopi, & Mart. dupl.
6. S. Dorotheæ Virg. & Mart. dupl.
8. S. Hieronymi Æmiliani Conf. dupl.
12. S. Hilarii Epiſc. & Conf. ſemid. cujus dies propr. eſt 14. Januarii.
16. SS. Septem Fundatorum Confeſs. dupl.
20. S. Joannis de Matha Conf. dupl. cujus dies propr. eſt 8. hujus.
21. S. Marcelli Papæ, & Mart. ſemid. cujus dies propr. eſt 16. Jan.
23. S. Margharitæ de Cortona Pœnitentis ſemid.
26. S. Raymundi Conf. ſemid. cujus dies propr. eſt 23. Jan.

MARTIUS.

1. Fer. 6. Officium Plagarum D. N. J. C. dupl. majus.
2. Fer. 6. Officium Spineæ Coronæ D. N. J. C. dupl. majus.
3. Fer. 6. Officium Pretioſiſſimi Sanguinis D. N. J. C. dupl. 1. claſſ.

APRILIS.

14. S. Zenonis Epiſcopi, & Conf. Eccl. Veron. Patroni.
17. S. Liberalis Epiſc. Conf.
23. S. Georgii Mart. dupl.
24. S. Fidelis a Sigmaringa Mart. dupl.
25. S. Marci Euangeliſtæ dupl. 1. cl. cum oct.
27. S. Peregrini Latioſi Conf. dupl.

MA-

Digitized by Google

MAJUS.

2. Dies Oct. S. Marci dupl.
Dom. 3. poſt Paſcha Patrocinium S. Joſeph dupl. maj.
15. S. Athanaſii Ep. & Conf. dupl. cujus dies propr. eſt 2. hujus.
16. S. Joannis Nepomuceni Mart. dupl.
18. S. Felicis a Cantalicio Conf. dupl.
19. S. Nazarii Epiſc. & Conf. Eccl. Juſtinopolit. Patr. dupl.
21. S. Ubaldi Ep. & Conf. ſemid. cujus dies propr. eſt 16. hujus.
23. SS. Victoris, & Coronæ Mart. Eccl. Feltrenſ. Patronor. dupl.
29. S. Maximi Epiſc. & Mart. Eccl. Æmonienſis Patroni dupl. 2. cl. cum oct.
31. S. Jacobi Salomonii Conf. dupl.

JUNIUS.

5. Dies Oct. S. Maximi dupl.
17. B. Petri de Piſis Conf. dupl.
18. B. Gregorii Barbadici Epiſc. & Conf. dupl.
21. S. Aloyſii Gonzagæ Conf. dupl.
23. S. Venantii Mart. dupl. cujus dies propr. eſt 18. Maji.
Fer. 6. poſt oct. Corp. Chriſti. Sanctiſſimi Cordis Jeſu dupl.

JULIUS.

7. B. Benedicti XI. Papæ, & Conf. dupl.
11. B. Petri Cæleſtini Pont. & Conf. dupl. cujus dies propr. eſt 19. Maji.
12. SS. Hermagoræ, & Fortunati MM. Eccl. Utinenſ. Patronor. dupl. 2. claſs.
17. S. Alexii Conf. dupl.
27. S. Pantaleonis Mart. dupl.
Dom. 3. Feſt. SS. Redemptoris dupl. 2. cl. cum oct.
Dom. 4. Oct. SS. Redemptoris dupl.

AUGUSTUS.

15. S. Rochi Conf. dupl.
26. B. Petri Acotanto Conf. dupl.
28. S. Pelagii Mart. Eccl. & Diœc. Æmonienſ. Patr. dupl. 1. cl. cum oct.

SE-

Digitized by Google

SEPTEMBER.

4. Dies Oct. S. Pelagii dupl.
5. S. Laurentii Juſtiniani Ep. & Conf. dupl.
6. S. Auguſtini Ep. Conf. & Eccl. Doct. dupl. cujus dies ut propr. eſt 28. Auguſti.
7. S. Hyacinthi Conf. dupl. cujus dies propr. eſt 15. Auguſti.
18. S. Joſephi a Cupertino Conf. dupl.
22. S. Thomæ de Villanova Conf. Pont. ſemid. cujus dies ut propr. eſt 18. hujus.
26. S. Gerardi Sagredo Martyris dupl.

OCTOBER.

7. S. Juſtinæ Martyris dupl.
20. S. Joannis Cantii Conf. dupl.
Dom. 2. Maternitas B. M. Virg. dupl. maj.
Dom. 3. Puritas B. M. Virg. dupl. maj.

NOVEMBER.

Dom. 2. Patrocinium B. M. Virg. dupl. maj.
16. S. Proſdocimi Ep. & Conf. Eccl. Patav. Patroni dupl.
19. S. Mauri Mart. Eccl. Parentinæ Patroni dupl.
21. Præſentatio B. M. Virg. dupl. 2. cl. cum oct.
28. Octava Præſentationis B. M. Virg. dupl.

DECEMBER.

2. Dedicatio Eccl. Noſtræ Cathedr. dupl. 1. cl. cum oct.
4. S. Barbaræ Virg. & Mart. dupl.
9. Octava Dedicationis Eccleſiæ dupl.
10. Translatio Almæ Domus Lauret. dupl.
14. S. Spiridionis Ep. & Conf. dupl.
17. B. Joannis Marinonis Ep. & Conf. dupl.
20. S. Bibianæ Virg. & Mart. ſemid, cujus dies propr. eſt 2. hujus.

IN-

INDEX.

Indictio Synodi. Pag. 5
Paſtorales Literæ de Synodo rurſus indicta. 7
Decreta varia de obſervandis in Synodo. 9
Catalogus Cleri, qui interfuit. 13
Oratio habita Primo Synodalis Seſſionis die. 15
Oratio habita in Tertia Synodali Seſſione. 20

SESSIO I.

De Fide Catholica. Cap. I. 27
De Hæreticis, & Blaſphemis. Cap. II. 28
De Superſtitionibus, & Vanis Obſervationibus. Cap. III. 30
De Doctrina Chriſtiana. Cap. IV. 33
De Verbi Dei Prædicatione. Cap. V. 36
De Eccleſiis, Sanctorum Reliquiis, Imaginibus, Indulgentiis, & Oratoriis. Cap. VI. 37
De Feſtis, & Vigiliis. Cap. VII. 41
De Horis Canonicis. Cap. VIII. 44

SESSIO II.

De Sacramentis in genere. Cap. I. 48
De Sacramento Baptiſmatis. Cap. II. 49
De Sacramento Confirmationis. Cap. III. 51
De Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento. Cap. IV. 52
De Sacroſancto Miſſæ Sacrificio. Cap. V. 56
De Sacramento Pœnitentiæ. Cap. VI. 60
De Sacramento Extremæ Unctionis. Cap. VII. 63
De Sacramento Ordinis. Cap. VIII. 66
De Sacramento Matrimonii. Cap. IX. 68

SESSIO III.

De Vita, & Honeſtate Clericorum. Cap. I. 73
De Proceſſionibus. Cap. II. 78
De Exequiis, Funeribus, & Cœmeteriis. Cap. III. 79
De Bonorum Eccleſiaſticorum tutela. Cap. IV. 83
De Confraternitatibus Laicis, ſeu Scholis. Cap. V. 84

De

Digitized by Google

De Hoſpitalibus, & Noſocomiis. Cap. VI. 85
De Officio Parochorum. Cap. VII. 86
De Vicariis Foraneis. Cap. VIII. 88
De Congregationibus Caſuum Conſcientiæ. Cap. IX. ibid.
Cohortatio Epiſcopalis. 90
Acclamationes. 92
Caſus reſervati. 93
Synodi Hiſtoria. 95
Tabella Sanctorum pro Eccleſia, & Diœceſi Æmonienſi. 100

F I N I S.

5 ... 7

Digitized by Google

De Hoſpitalibus, & Noſocomiis. Cap. VI. 85
De Officio Parochorum. Cap. VII. 86
De Vicariis Foraneis. Cap. VIII. 88
De Congregationibus Caſuum Conſcientiæ. Cap. IX. ibid.
Cohortatio Epiſcopalis. 90
Acclamationes. 92
Caſus reſervati. 93
Synodi Hiſtoria. 95
Tabella Sanctorum pro Eccleſia, & Diœceſi Æmonienſi. 100

FINIS.

Digitized by Google